

## Distinctio XXXV

### Pars Secunda

“Scientia vero vel sapientia, etc.” Postquam magister enunciavit nomina quibus unica Dei  
 5 scientia diversimode appellatur, hic exequitur in speciali de nominibus illis. Et circa hoc tria  
 facit. Agit namque primo de nomine scientiae vel sapientiae. Secundo vero de nomine  
 praescientiae. Tertio autem de nomine praedestinationis /X 769b/ seu dispositionis. Secunda ibi  
 distinctio 38, “Nunc igitur ad propositum.” Tertia ibi distinctio 40 “Praedestinatio vero.”

Circa primum duo facit. Primo enim agit de scientia seu sapientia Dei. Secundo incidentaliter  
 10 quaedam inquit. Secunda ibi distinctio 36, “Solet hic queri.”

Adhuc circa primum duo facit. Primo enim agit de scientia vel sapientia Dei ostendendo  
 respectu quorum sit. Secundo vero correlativa duo concludit. Secunda ibi capitulo sequenti:  
 “Propterea omnia.” Dicit itaque primo quod Dei scientia et sapientia non tantum ad temporalia  
 se extendit, quin immo ad aeterna, unde scivit Deus ab aeterno omne aeternum et omne quod  
 15 futurum erat, et scivit non minus praeterita quam futura. Ita quod omnis ratio supernae  
 terrenaque sapientiae in eo est; et breviter immensa sua scientia scit ipse omnia quae sciuntur.

Haec est sententia.

### Utrum obiectum adaequatum intellectionis divinae sit essentia Dei vel ens 20 universale.

Et quia Magister agit hic de obiecto divinae scientiae, ostendens quod Deus novit non solum  
 se, immo omnia quae sunt extra se, quia novit cuncta temporalia et aeterna, ideo inquirendum  
 occurrit utrum sua sola essentia sit obiectum adaequatum intellectus divini vel potius ens  
 universale in toto ambitu suo.

25 Et videtur quod ens universale et non sola essentia. Nulla enim potentia attingit ad quod non  
 participet formaliter rationem sui obiecti, ut patet quod visus non cognoscit nisi coloratum vel  
 luminosum. Sed divinus intellectus attingit creaturas, quae non sunt specialiter sua essentia.  
 Ergo sua essentia non est obiectum adaequatum ipsius intellectus.

Praeterea, nulla potentia cognitiva ponit differentiam inter suum formale obiectum et alia;  
 30 visus enim non distinguit inter colorem et dulcedinem vel saporem, sed hoc pertinet ad sensum  
 communem, qui /Vb 366vb/ cognoscit utrumque. Sed divinus intellectus differentiam ponit  
 inter essentiam et omnia creata. Novit enim Deus quod differt per essentiam ab eis. Ergo sua  
 essentia non est obiectum adaequatum suae scientiae vel intellectionis suae.

Praeterea, nullus intellectus angelicus vel humanus est nobilior intellectu divino. Sed ens  
 35 secundum totum ambitum suum est obiectum intellectus angelici vel humani, ut ex supradictis  
 apparet. Ergo multo fortius erit obiectum intellectus divini, cum potentia nobilior habeat  
 universalius et latius obiectum, sicut patet quod sensus communis habet obiectum latius quolibet  
 sensu particulari, et imaginatio latius quam sensus communis, et intellectus melius quam  
 imaginatio sive sensus.

40 Praeterea, habitus metaphysicae est maxime proprius ipsi Deo. Dicit enim Philosophus, I  
*Metaphysicae*, quod hanc maxime Deus habet, unde dea scientiarum est. Sed constat quod  
 metaphysica habet totum ambitum entis pro obiecto adaequato, ut patet ex IV et VI  
*Metaphysicae*. Ergo et divina scientia habet illud pro obiecto, et non solum essentiam suam. /X  
 770a/

45 Praeterea, scientia Dei non subalternatur metaphysicae nostrae. Sed subalternaretur nisi  
 scientia Dei haberet pro obiecto adaequato totalem ambitum entis, quia tunc clauderetur  
 obiectum suae scientiae sub obiecto scientiae nostrae, cum divina essentia contineatur sub ente.  
 Ergo id quod prius.

Praeterea, illud est obiectum divini intellectus et sub illa ratione sub qua divina intellectio  
 50 terminatur ad illud. Sed divinus intellectus intelligit lapidem sub ratione lapidis, et rosam sub  
 ratione rosae, et universaliter omnia sub propriis rationibus. Ergo omnia sub propriis rationibus  
 sunt obiecta intellectus divini; et per consequens ens secundum totum ambitum suum.

Praeterea, nobilissimae potentiae debet assignari obiectum nobilissimum. Sed ens secundum totum ambitum suum claudit nobilitatem essentiae divinae, et ultra hoc nobilitates et  
55 perfectiones omnium creatorum. Ergo videtur quod sit formale obiectum divini intellectus.

Praeterea, in omni potentia cognitiva habente primum et secundarium obiectum, illud habet rationem obiecti adaequati quod claudit utrumque. Sicut patet quod intellectus noster cognoscit primo materialia, secundario vero immaterialia et abstracta; et ideo habet pro obiecto adaequato aliquid commune ad illa, scilicet ens vel verum. Sed divinus intellectus cognoscit suam  
60 essentiam primo, creaturas vero tamquam obiecta secundaria. Ergo aliquid commune Deo et creaturae est obiectum adaequatum ipsius.

Praeterea, nulla potentia cognoscit aliquid sub ratione universaliori, quam sit sua ratio obiectiva. Sed Deus cognoscit se non solum sub propria ratione <deitatis>, immo in quantum ens. Ergo obiectum adaequatum ipsius non est propria ratio deitatis, sed ens in quantum ens.  
65

**Quod essentia divina est obiectum adaequatum intellectus ipsius.** Sed in oppositum videtur quod immo sola Dei essentia sit obiectum adaequatum intellectus divini. Actus enim cognitivus sumit distinctionem et speciem ab obiecto, et per consequens dependet quodammodo ab ipso, sicut apparet ex II *De anima*. Sed divinus intellectus non dependet ab aliquo extra se. Ergo  
70 obiectum intellectus ipsius non est aliquid extra se.

Praeterea, omnis scientia mensuratur ab obiecto. Necesse est enim quod veritas quae est in scientia sequatur veritatem obiectivam. Ab eo enim quod res est vel non est, non solum oratio est vera vel falsa, immo omnis scientia, quae est de illa re. Sed impossibile est quod divinus intellectus mensuretur ab ente in communi vel a rebus quae sunt extra se, alioquin referretur  
75 relatione reali de tertio modo ad creaturam. Igitur id quod prius. /X 770b/Vb 367ra

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur an divinus intuitus primo et secundario ad aliquid extra se terminetur, ita quod creaturae in esse cognito saltem secundario sint sibi praesentes, aut sola essentia  
80 tantummodo sit in eius prospectu. Secundo vero, dato quod nihil nisi sua essentia, nec primo nec secundario, terminet eius intuitum, inquiretur an vere et proprie dici possit Deus cognoscere creaturas, aut nihil cognoscere extra se. Tertio vero videtur quam habitudinem habet intellectio creaturarum ad intellectionem essentiae in divinis. Quarto quoque videbitur de principali quaesito, an scilicet sola essentia sit obiectum adaequatum intellectus divini.  
85

### Articulus Primus

**Opinio Philosophi et Commentatoris sui.** Circa primum ergo considerandum quod intentio fuit Aristotelis et Commentatoris, sicut patet XII *Metaphysicae*, quod Deus nihil intelligit aliud a se, sic quod aliquid aliud terminaret intuitum eius vel sit in ipsius prospectu vel primarie vel  
90 secundarie. Quod enim haec sit mens ipsorum apparet quia, si aliquid aliud a Deo esset in eius prospectu per modum terminantis intuitum, aliqua multitudo intellectuum et multiplicitas esset in divino intuitu obiective. Sed ipsi dicunt non esse multitudinem intellectuum in primo principio. Unde commento 51 super illo capitulo “Sententia Patrum”, XII *Metaphysicae*, dicit Commentator quod “primus est simplicior” omnibus intelligentiis abstractis; “et ideo est unus  
95 simplex sine aliqua multiplicitate, nec propter alietatem intellectus et intellecti, nec propter multitudinem intellectuum; multitudo enim intellectuum in eodem intellectu consequitur alietatem quae invenitur in eo”. Et III *De anima*, commento 13, dicit quod in omni intellectu abstracto qui intelligit aliud oportet ponere materiam, quae est intellectus possibilis, aliter non esset multitudo intellectuum in eis. Et ideo nulla forma est liberata a potentia simpliciter, nisi  
100 prima, quae nihil intelligit extra se. Ergo mens eorum fuit quod nulla creatura sit obiective in prospectu divino nec aliquid aliud nisi essentia eius.

Praeterea, si creaturae per modum obiecti secundarii relucerent divino intellectui, essent ibi aliqua intellecta quae non adunarentur et fierent unum cum essentia Dei. Sed Commentator dicit ubi supra, XII *Metaphysicae*, quod contingit ut intellecta sint unum et adunentur simpliciter  
105 omnibus modis, quoniam si remanerent illa intellecta plura et non adunarentur cum essentia

intellectus, tunc essentia eius aliud erit ab eis. Ergo patet quod mens eorum fuit quod nihil <aliud> a Deo terminat /X 771a/ eius intuitum obiective, etiam secundario.

Praeterea, ibidem subdit Commentator quod hoc ignoravit Themistius, et ideo dixit quod possibile est Deum intelligere multa intellecta subito, hoc est simul et in instanti. Hoc autem  
110 contradicit sermoni nostro, cum dixerimus quod intelligit se et nihil aliud extrinsecum. Sed manifestum est quod hoc non diceret nisi mens sua foret quod creaturae non terminant eius intuitum obiective. Igitur hoc intellexit.

Praeterea, in eodem commento dicit quod successio intellectorum faceret Deo lassitudinem, cum vellet intelligere ea et numerare in simul. Hoc autem non contingit nisi posuerimus ipsum  
115 intelligere successive; cum vero posuerimus ipsum intelligere omnia subito, /Vb 367rb/ non contingit hoc. Sed tamen contingit ut in eo sit multitudo quod perficiatur per vilius. Hoc autem reputat inconueniens. Ergo patet quod nihil aliud a Deo relucet in suo intuitu obiective.

**Opinio Themistii.** Dixerunt vero alii, sicut Themistius, quod Deus intelligit plura simul, ita  
120 quod divinum intuitum terminat divina essentia obiective et omnis alia res, et per modum primarii obiecti. Divina enim essentia non solum intellectui divino est ratio cognoscendi se et ponendi in suo intuitu et prospectu, immo et ratio ponendi omnem creaturam, ita quod immediate fertur aspectus intellectus divini super omnia, non quidem mediante sua essentia obiective, quamvis mediante ipsa tanquam ratione cognoscendi.

**Opinio modernorum doctorum.** Dixerunt quoque alii quod in prospectu intellectus divini est  
125 primo et per se essentia sua tantum; in ipsa vero tanquam in speculo relucet omnes creaturae, ut sic intuitus divinus primo terminetur ad essentiam obiective, secundario vero ad creaturas in essentia speculariter relucet, nec immediate feratur in ipsas obiective.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat ergo in hoc articulo dicere quod videtur et “quia  
130 ista quaestio est nobilissima omnium quae sunt de Deo, scire scilicet quid intelligit, et est naturaliter ab omnibus desiderata, de qua Chaldei valde sunt perscrutati, propter quod vocavit eam Aristoteles *Sententiam Patrum*”, ut Commentator dicit XII *Metaphysicae*, commento 51.  
135 Ideo huius quaesiti veritas ex propositione triplici poterit apparere. /X 771b/

**Quod nihil aliud a Deo terminat eius intuitum obiective nec primarie nec secundarie, contra utramque opinionem, et sic remanet opinio Aristotelis vera.** Prima quidem quod  
140 nulla creatura nec aliud extra Deum relucet eius intellectui obiective nec per modum obiecti secundarii nec per modum obiecti primi. Hoc autem potest multipliciter declarari.

Primo quidem ex perfectione divina. Impossibile est enim aliquid quod sit perfectionis in Deo dependere a non Deo, quia bonorum nostrorum non indiget. Sed si intellectio divina terminaretur ad creaturas positas in esse prospecto, illa intellectio, cum sit quaedam Dei perfectio, dependeret a non Deo, quia ab ipsis creaturis positas in tali esse. Impossibile est enim  
145 intellectionem terminatam ad aliquod obiectum manere sine illo obiecto. Ergo nulla intellectio est in Deo quae terminetur ad creaturas positas in esse prospectu, aut ad aliquid aliud a Deo.

Et confirmatur, quia omnis perfectio quae est in Deo esset aequae in eo, si circumscriberetur quodcumque esse creaturae, sive reale sive intentionale et diminutum. Cum igitur intellectio, si  
150 quae sit in Deo quae terminetur ad creaturas positas in esse intentionali non maneret aequae in eo, si tolleretur huiusmodi esse intentionale, manifeste patet quod nulla talis est in Deo.

Sed forte dicetur quod intellectio respicit obiectum aliquando per modum creantis, sicut in nobis obiectum movet potentiam ad actum; aliquando per modum mensurantis, quia intellectus refertur ad intellectum sicut mensuratum ad mensuram, ut patet V *Metaphysicae*; aliquando per  
155 modum terminantis tantum, absque hoc quod intellectionem mensuret vel causet. Primis igitur duobus modis est impossibile quod intellectio divina dependeat ab obiecto creato, sed tertio modo, videlicet in ratione termini, nullum inconueniens est, ut videtur.

Haec autem evasio rationem non impedit quoniam impossibile est aliquid quod sit in /Vb 367va/ Deo sic dependere a creatura quod non maneat in Deo, circumscripta creatura, quantum

ad omne esse reale vel rationis, principale vel diminutum. Et propter hoc probat Anselmus,  
 160 *Monologion* XV, quod nulla relatio Dei ad creaturam dicit perfectionem, quia dependeret aut  
 coexigeret, saltem in ratione termini, aliquid extra se; dicit autem quod quicquid boni vel magni  
 est in divina essentia non est per aliud quam per se ipsam. Hoc etiam Philosophus intendit, XII  
*Metaphysicae*, cum ait quod si primum principium intelligeret aliquid extra se vilesceret, quia  
 indigeret in sua nobili operatione aliquo inferiori se, non quia indigeret in ratione causantis vel  
 165 mensurantis, sed saltem in ratione terminantis.

Ulterius forte dicetur quod ratio non procedit; supponit enim quod intellectio creaturae  
 perfectionem importet in Deo. Hoc autem /X 772a/ verum non est, sed tantum illa qua intelligit  
 essentiam suam.

Sed nec ista evasio valet, tum quia intelligere non solum se ipsum, immo et omne aliud  
 170 pertinet ad omniscientiam Dei quae perfectionem importat; tum quia conciperetur Deus  
 imperfectus, si non apprehenderetur ut creaturas cognoscens, iuxta quod reprobat aliquorum  
 insaniam Propheta qui dixerunt: “non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob”. Et subdit: “Et  
 intelligite insipientes in populo qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non  
 considerat?”, quasi dicere velit quod per se notum est Deum cognoscere ea quae sunt hic, alias  
 175 non esset perfectus. Unde, XII *Metaphysicae*, Commentator formans rationem Philosophi  
 commento <51> [49 Vb], dicit quod “manifestum est quod principium nobilissimum non  
 acquirit nobilitatem suam nisi per suam actionem, quemadmodum intellectus in hiis quae  
 intelligunt non acquirit nobilitatem nisi per actionem intellectus”; et subdit: “si ergo primum  
 intelligit vilia, hoc est inferiora se, contingit ut sua nobilitas sit in intelligendo vilia et perficeretur  
 180 per vilius”.

Et rursus, dato quod intellectio huiusmodi perfectionem non importaret, adhuc maneret  
 ratio, quia impossibile est quod aliquid quod sit Deus dependeat coexecutive a non Deo; talis  
 autem intellectio in Deo esset, et per consequens Deus esset.

Ulterius forte dicetur quod creatura in tali esse prospecto posita non est aliquid in se, sed est  
 185 tantummodo per divinam essentiam in qua relucet; unde non differt ab ea. Et ita non dependebit  
 divina intellectio ab aliquo quod aliud sit a Deo.

Haec autem evasio etiam non procedit. Creatura enim in tali esse posita habet esse  
 diminutum tantum et intentionale, essentia vero divina esse principalissimum et reale; quare  
 differt ab essentia tamquam creatura sub esse diminuto posita ab ipso creatore. Si ergo  
 190 inconueniens reputatur quod divina essentia dependeat coexigenter a creatura prout ponitur in  
 esse reali, multo fortius debet impossibile reputari quod ab ea dependeat prout est posita sub  
 esse diminuto.

Ulterius forte dicetur quod intellectio non dependet ab obiecto secundario, sed ab obiecto  
 primo. Unde, dato quod creaturae tollerentur nec manerent in tali esse diminuto, adhuc eadem  
 195 intellectio remaneret terminata ad essentiam ut ad obiectum.

Haec autem evasio non procedit: aut enim tunc remaneret Deus intelligens creaturas per  
 intellectionem terminatam ad suam essentiam praecise, non procedentem ulterius in ipsas  
 creaturas, et tunc habetur propositum, scilicet quod intellectio, qua creaturas intelligit, non  
 terminatur ad ipsas; vel non intelligeret creaturas, et sic procedit ratio, scilicet quod intellectio  
 200 quae est in Deo perfectio, immo quae Deus est, sic dependeret a creatura quod ipsa  
 circumscripta manere non po-/Vb 367vb/-sset.

Sic igitur patet demonstratio qua movetur Philosophus, /X 772b/ XII *Metaphysicae*, ad  
 ponendum quod primum principium nihil intelligit extra se, quae posset formari sic: primum  
 principium, in tantum est perfectum, quod non perficitur per aliquid extra se, nec efficienter nec  
 205 formaliter nec etiam coexigenter; sed si intelligeret aliquid extra se, perficeretur per illud, quia  
 intellectio quae est perfectio intelligentis – cum bonum uniuscuiusque rei consistat in sua  
 operatione, ut patet I *Ethicorum* – , haec, inquam, perfectio coexigeret aliquid extra Deum, et ita  
 Deus perficeretur per aliquid extra se coexigenter. Igitur Deus non intelligit aliquid extra se, sic  
 quod eius intuitus terminetur ad illud.

Secundo vero idem patet ex divisionis continui totali evacuatione; impossibile est enim  
 divisionem continui totaliter evacuari: aut enim staret divisio in aliqua indivisibilia, quod esse

non potest – nam tunc continuum ex eisdem indivisibilibus componeretur, cum unumquodque resolvatur in illa ex quibus componitur – ; aut staret in aliqua divisibilia, et per consequens iam non staret, quoniam illa adhuc dividi possent. Unde Commentator, <III *Physicorum* commento  
 215 69> [IX *Metaphysicae* commento 11 Vb], dicit quod potentia quae ponitur in continuo ad divisionem in infinitum non est potentia quae exeat in actum, ita quod non remaneat in eo potentia omnino; quoniam si ista potentia exiret in actum, tunc infinitum esset in actu, quod est impossibile. Unde significatum istius potentiae est non cessare nec separari ab illo ad quod potest, et ipsum non potest nisi ad singulas partes eius rei quae exit in actum, cuius exitus est  
 220 infinitus. Haec Commentator. Ex quibus patet quod contradictio est divisionem continui deficere vel cessare. Sed manifestum est quod, si divinus intuitus aliquid extra se attingeret obiective, ponendo illud in esse prospecto, de necessitate divisio continui esset evacuata in eius intuitu aut prospectu. Aut enim tantummodo ponerentur in ipsius intuitu omnes partes continui divisae et distinctae, ita ut non relinquatur ulterior divisio; et sic habetur propositum, quod  
 225 divisio continui erit evacuata. Aut ponerentur tantum aliqua partes sub certo numero, quarum quaelibet erit ulterius divisibilis, quod esse non potest, quia tunc divinus intuitus esset in potentia et posset aliquid sibi accrescere, dividendo videlicet unamquamque illarum partium; quinimmo posset sic dividendo procedere in infinitum, sicut et noster intellectus. Ergo impossibile est quod aliquid aliud a Deo ponatur in eius intuitu vel prospectu in actu; qua  
 230 ratione namque aliquid poneretur, omnes partes continui ponerentur.

Et confirmatur, quia si divinus intuitus, intelligendo lineam aut dividendo eam in partes, quamlibet divisionem poneret in prospectu, oporteret dare unum de tribus: aut quod in ipsius prospectu essent partes indivisibiles ex quibus linea componeretur et in quas per divinum intuitum scinderetur; aut quod essent partes divisibiles et sic divino intuitui aliquid accrescere  
 235 posset; aut quod solummodo /X 773a/ totalitas continui esset actu in ipsius prospectu, partes vero in potentia reducibili successive ad actum reductione quae numquam cessaret, sicut accidit in nostro intellectu. Et hoc totum impossibile est; quare necesse est quod sit continuum et eius partes intelligantur a Deo, quod tamen in eius intuitu non ponantur. Et idem est de omnibus quae intelligit aliis a se.

Tertio vero idem apparet ex infinitate actuali continui et magnitudinis. Si enim res extrinsecae a Deo, quas intelligit, ponerentur in eius intuitu et prospectu, sequeretur quod in divino intuitu esset obiective magnitudo quae-/Vb 368ra/-dam actualiter infinita. Principium namque mathematicum est quod magnitudo crescit in infinitum et quod cuilibet datae magnitudini potest fieri additio. Unde Commentator, III *Physicorum* commento <68> [61 Vb],  
 245 ait quod propositio geometrica, dicens quod possibile est imaginari ad omnem lineam lineam maiorem, illa est vera; naturalis vero, dicens quod linea potest esse infinita, est falsa. Cum ergo divinus intellectus plus possit quam humanus, noster autem possit ad datam magnitudinem semper adicere, necesse est quod et divinus intellectus hoc possit. Aut igitur procedit continue successive, quod esse non potest, ne sit imperfectus et in potentia, sicut noster; aut stat in aliqua  
 250 magnitudine finita, et tunc non stat, quia ad omne finitum potest intelligi fieri additio. Unde contradictio est quod stet in magnitudine finita aut stabit in magnitudine infinita obiecta suo prospectui, cui impossibilis est additio fieri, et sic propositum habetur. Sed manifestum est quod est impossibile infinitam magnitudinem esse in divino prospectu, quia, qua ratione ibi poneretur, eadem ratione a Deo posset produci in effectu, quod est impossibile ut inferius ostendetur. Nam  
 255 actualitas et infinitas contradicunt, cum infinitum sit in potentia permixta actui, ut patet III *Physicorum*, loquendo de infinito divisibili et quanto; secus enim est de indivisibili et simplici, cuiusmodi est Deus. Ergo res extrinsecae, cum intelliguntur a Deo, non ponuntur in ipsius prospectu.

Quarto quoque idem apparet ex positione omnium numerorum in actu. Si enim res aliae a  
 260 Deo, cum intelliguntur a Deo, ponerentur in eius intuitu obiective, sequeretur quod omnes species numerorum essent in actu positae in eius intuitu et prospectu. Intelligit enim Deus omnes numeros, cum sapientiae eius non sit numerus. Sed manifestum est quod processum numerorum in infinitum esse evacuatum et exivisse ad actum etiam in divino prospectu impossibile est, quia aut sistitur in numero finito, et sic est in potentia ut sit radix cubiti vel

265 quadrati, et per consequens quadratus eiusmodi, aut cubus, aut duplus possibilis est; aut sistitur  
in numero infinito, et hoc contradictio est, cum numerus non sit aliud nisi totitas quaedam et  
clausio multitudinis, ut superius dicebatur cum ageretur de forma numeri. Unde idem est esse  
numeratum et esse tot vel tot, quod evidenter clausionem et finitionem includit; et per  
consequens forma numeri et infinitas contradicunt. Ergo impossibile est quod numeri qui a Deo  
270 intelliguntur /X 773b/ sint positi in ipsius prospectu.

Sed forte dicetur quod ista multitudo, in qua residet intuitus divinus, non est mensura aliquo  
certo numero nec conclusa, sed est multitudo non numerata.

Haec tamen evasio rationem non tollit; divinus namque intuitus attingit in actu omnem  
multitudinem numeratam, discedentem ab illa multitudine non numerata; et per consequens  
275 attingit ultimum numerum, a quo statim proceditur ad illam multitudinem infinitam, si ita sit  
quod ponat in prospectu omnes species numerorum. Sed manifestum est quod talem numerum  
impossibile est reperiri qui immediate discedat a multitudine infinita vel a quo immediate sit  
transitus ad eandem. Dato enim tali numero, cum sit finitus, adhuc potest fieri sibi additio in  
infinitum, antequam consurgat illa multitudo infinita. Ergo non ponit in actu divinus intuitus  
280 omnes species numerorum. Et idem est de mag-/Vb 368rb/-nitudine infinita et magnitudine  
finita quae primo discedit ab ea aut a qua primo fit transitus ad eandem. Unde, cum impossibile  
sit illam dare, immo quacumque data adhuc potest procedi in infinitum addendo antequam  
infinita magnitudo consurgat, necesse erit quod divinus intuitus sit in potentia et procedat, vel  
quod nullo modo res in suo prospectu constituat. Per quod potest tertia ratio supra posita de  
285 magnitudine confirmari.

Quinto demum idem apparet, si verum sit dictum quorumdam ponentium quod in  
perfectionibus specificis potest procedi in infinitum, ita quod una species potest fieri nobilior  
alia, et alia nobilior illa, et sic in infinitum. Similiter et infra eandem speciem potest fieri in  
infinitum intensio secundum eos; unde caritas potest augeri in infinitum. Si igitur hoc sit verum,  
290 aut tota ista multitudo infinita nobilium specierum et individuorum nobilium est in divino  
intuitu actualiter et sine processu, aut non actualiter, sed sub quodam processu, aut nullo modo.  
Sed manifestum est quod non potest dici primo modo, quia tunc divinus intuitus haberet in suo  
prospectu creaturam aliquam infinitam distantem a prima specie in infinitum sive a primo  
individuo. Aut enim intuetur quamlibet distantem modo finito a prima specie vel individuo, et  
295 sic non erit possibilis processus in infinitum in speciebus et individuis, cuius oppositum isti  
dicerent; aut intuetur aliquam distantem in infinitum in nobilitate et perfectione, et per  
consequens illa erit in infinitum nobilis et perfecta, quod impossibile est. Nec potest etiam dari  
secundum, quod scilicet sit tota illa multitudo in divino intuitu sub quadam successione et  
processu, quia tunc esset potentialis et imperfectus. Quare relinquatur quod nullo modo. /X  
300 774a/

**Quod creaturae non sunt in divino intuitu sicut obiecta secundaria relucentia in divina  
essentia, quod est in speciali contra opinionem tertiam.** Secunda vero propositio est quod  
creaturae non sunt obiecta secundaria terminantia intuitum divinum, relucendo tamquam in  
305 speculo in divina essentia, sicut videtur fingere imaginatio communis. Quandoque enim aliquid  
aspicitur in aliquo tamquam in speculo, tunc est ibi alius actus videndi et alia species sive ratio  
qua videtur speculum et qua videtur res in speculo. Sicut manifeste patet quod speculum videtur  
per speciem repraesentantem vitrum et figuram eius ac formam, res autem videtur per propriam  
speciem aliam, quamvis concurrant in eodem oculo simul species speculi et species rei. Sed  
310 secundum sic ponentes divinus intellectus intuetur creaturas in sua essentia quasi in speculo  
relucentes. Ergo per aliam similitudinem videbit creaturas quam per essentiam, alioquin essentia  
non se habebit ut speculum. Cum igitur per aliam similitudinem non videat creaturas, patet quod  
essentia non se habet per modum speculi.

Praeterea, Deus non intelligit creaturas per reflexionem. Actus enim reflexus videtur  
315 imperfectior quam directus. Sed si divinus intuitus primo ferretur in essentiam et deinde  
procederet ad creaturas quasi per quoddam speculum, videret eas per reflexionem; quae enim  
videntur in speculo, videntur per lineam reflexam, secundum perspectivum. Ergo id quod prius.

Praeterea, impossibile est aliquid obiective relucere nisi potentiae cognitivae et per actum cognitivum. Sed secundum sic ponentes creaturae relucent in divina essentia speculariter. Et ex hoc divinus intellectus intelligit ut talis relucentia sit causa quod intelligatur. /Vb 368va/ Ergo prius cognoscentur quam intelligantur, cum tale relucere in divina essentia non sit aliud quam cognosci et esse apparens. Non est ergo ponenda talis relucentia specularis.

Praeterea, sicut se habet intellectio ad intellectionem, sic intellectum ad intellectum et intuitum ad intuitum. Sed intellectio qua Deus intelligit suam creaturam non est aliud ab intellectione qua intelligit suam essentiam. Ergo intuitum per intellectionem qua intelligitur creatura non est aliud quam intuitum per intellectionem qua intelligitur essentia. Constat autem quod res lucens in speculo est alia a speculo, non igitur lucet creatura in Deo tamquam in speculo, immo non est aliud Deum intelligere creaturas quam intelligere <suam> propriam essentiam, ita quod <non> sint ibi duo intuita sed unum solum, videlicet Dei essentia, qua cognita, non solum ipsa est cognita, immo etiam omnis creatura, non quidem ut lucens in ipsa quasi intuitum in intuitu, quia essent duo intuita et duae intuitiones.

Praeterea, non alia intellectione intuetur Deus creaturam ab illa qua intuetur suam essentiam, immo vidisse suam essentiam est vidisse /X 774b/ omnem creaturam. Sed vidisse speculum non est vidisse rem in speculo, immo sunt diversi termini et diversa vidisse. Ergo creaturae non videntur a Deo per essentiam suam tamquam per speculum.

Praeterea, ratio speculi in hoc consistit quod est reflectens similitudinem, per quam fit visio ad oculum videntem. Sed manifestum est quod divina essentia non recipit similitudinem creaturae nec eam reflectit. Ergo nullo modo habet speculi rationem.

Praeterea, rationes quinque in praecedenti propositione inductae concludunt manifeste quod creaturae in divina essentia tamquam in speculo non relucent, nec sunt in divino intuitu tamquam obiecta secundaria; quare illud poni non potest.

**Quod ista est intentio Augustini quae dicta est.** Tertio quoque propositio est quod haec fuit intentio Augustini, et in hoc cum philosophis concordavit, scilicet quod nihil aliud extra Deum esset in ipsius intuitu <obiective> [obiectivo Vb], quinimmo sui ipsius intuitio esset intuitio omnium aliorum aequipollenter et eminenter; et perinde est quod intuitus est se ac si omnia sub propriis rationibus esset intuitus; et secundum hoc non est in eius prospectu nisi ipsemet. Et quod haec sit mens Augustini apparet ex dictis ipsius in *Liber 83 quaestionum* q. 46, cum ait quod non extra se quicquam positum Deus intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebatur; nam hoc opinari sacrilegium est. Sed manifestum est quod si creaturae relucere in divina essentia tamquam obiecta secundaria, tunc Deus aliquid extra se positum intuetur. Extra, inquam, positum non situalliter, sed entitative, quia creaturae in tali esse positae non sunt ipse creator. Ergo sacrilegium est quod creaturae reluceant in Deo tamquam obiecta secundaria.

Praeterea, rationes <illae> [illas Vb], quae sunt in mente creatoris, ad quas divinus intellectus aspicit et quibus intuitis dicitur cognita creatura, hae, inquam, rationes sunt incommutabiles et aeternae ac principales respectu rerum creaturarum, et ipsae verae sunt, quia aeternae sunt quarum participatione fit ut sit quicquid est quando est, secundum Augustinum ibidem. Sed manifestum est quod creaturae, si relucere tamquam obiecta secundaria, non haberent conditiones istas, quia nec vere essent, sed tantum intentionaliter et diminute, nec essent principales respectu creaturarum, immo essent ipsamet creaturae in esse diminuto. Sed nec creaturae essent per participationem illarum, cum nihil participet se. Unde istae conditiones non possunt competere nisi ipsi divinae /Vb 368vb/ essentiae, quae aeterna ac principalis ac incommutabilis est et participatione eius est quicquid est. Ergo rationes illae, ad quas aspicit intellectus divinus, quibus cognitis dicuntur ab eo cognitae creaturae, non sunt ipsae creaturae tanquam obiecta secundaria relucentes, sed sunt ipsamet divina /X 775a/ essentia qua cognita a Deo, vere dicuntur cognita cuncta alia excellenter et eminenter.

Praeterea, visio illarum rationum est beatifica [beatissima Vb] naturae intellectivae. Sed hoc non esset si huiusmodi rationes essent creaturae tanquam obiecta secundaria relucentes, quia visio solius divinae essentiae est beatifica. Ergo rationes illae quas Deus aspicit, quibus visis visa est omnis creatura sunt ipsamet divina essentia.

Praeterea, Augustinus distinguit *Super Genesim ad litteram* duo genera visionum: unum quidem rerum proprio genere et in se ipsis, aliud vero rerum in Verbo et in divina essentia; et secundum hoc res visae in divina essentia non videntur in proprio genere et in se ipsis. Sed manifestum est quod si relucere in divina essentia tamquam obiecta secundaria ita quod  
 375 divinus intuitus primo ferretur in essentiam et deinde procederet atque protenderetur ad creaturam, tunc ipsae creaturae viderentur in se ipsis et in proprio genere, quamvis ratio videndi, videlicet essentia divina, esset aliquid extra proprium genus earum. Hoc tamen non impedit quin res viderentur in proprio genere obiective, quemadmodum res quae cognoscuntur per speciem, in proprio genere cognoscuntur, quamvis species quae est ratio cognoscendi non sit infra genus  
 380 cognitae rei per illam. Ergo secundum mentem Augustini Deus non sic intelligit creaturas quod sint in eius prospectu tamquam obiecta secundaria, sed quia intelligendo suam essentiam intellecta est omnis creatura aequipollenter et eminenter.

Et in hoc primus articulus terminetur.

385

### Articulus Secundus

**An concedi debeat quod Deus vere et proprie intelligat creaturas aut aliquid aliud extra se.**

Circa secundum vero considerandum quod Deum intelligere creaturas aut aliquid aliud extra se sub uno quidem sensu concedi potest, sub alio vero non potest.

Si enim quaeratur an Deus sic intelligat creaturam quod intuitum suum ferat super essentiam, et ex hoc procedat ulterius usque ad creaturam, sic quod sint duo intuita, Deus et creatura, et sit  
 390 ibi pluralitas ac multitudo intellectorum, et ponat in numerum creatura cum Deo in ratione intellecti, sic nullo modo concedi potest quod Deus intelligat creaturas aut aliquid <aliud> extra se propter rationes superius inductas; et iterum quia essent plura verba in Deo, quia quot intellecta, cum supra dictum fuit quod verbum non est aliud quam res posita in prospectu sive in  
 395 esse conspicuo et formato.

Si vero quaeratur an sic intelligat creaturas Deus quod suum intuitum terminet ad essentiam ibi sistendo nec ulterius procedendo, sic tamen quod ibi sistendo dicatur attingisse eminenter et plusquam aequipollenter omne aliud extra se et omnem creaturam, et secundum hoc non sit aliqua multitudo intellectorum /X 775b/ in Deo, nec ponant in numerum creaturae, ut et  
 400 intellectae cum divina essentia ut intellecta, sed est penitus unum simplicissimum intellectum, sic concedi oportet quod Deus non ignorat, immo perfectissime et supereminenter novit omnem creaturam et omne aliud extra se, secundum quod ait Commentator, XII *Metaphysicae* commento <51> [50 Vb], quod intellecta multa et plura sunt unum intellectum et sunt adunata perfecta adunatione, ita ut fiant simplex et unum omnibus modis, videlicet una Dei essentia;  
 405 quae quidem, sicut /Vb 369ra/ est omnia eminenter, sic eius intellectio est omnium intellectio eminentis et excellens. Secundum hoc ergo concedi oportet quod Deus omnia novit.

**Multiplex opinio contra ea quae dicta sunt hic et in articulo praecedenti.** Hiis tamen quae dicta sunt multa obviare videntur. Quicumque enim intellectus ponit differentiam inter aliqua  
 410 necessario sub propriis rationibus cognoscit illa; nec cognoscit unum per aliud, immo quodlibet in se ipso, alioquin unum obstrueret sibi aliud, sicut Philosophus dicit III *De anima* de intellectu possibili quod, si haberet aliquam speciem, prohiberet in eo certum iudicium de alio extraneo; sicut etiam experientia docet de habente gustum infectum humore aliquo, quod in iudicando impeditur ne pure et sincere iudicet de alio humore, experiendo differentiam illorum inter se,  
 415 immo semper immiscet aliquid pertinens ad humorem inficientem. Sed manifestum est quod Deus differentiam ponit per suum intellectum inter suam essentiam et omnem creaturam, intelligendo hanc propositionem quod nulla creatura est sua essentia. Ergo necesse quod extrema istius propositionis, scilicet essentiam suam et omnem creaturam, per se et distincte et in se ipsis cognoscat.

420 Praeterea, sicut se habet eminentia essentiae ad essendum omnem creaturam, sic eminentia intellectionis essentiae ad intelligendum omnem creaturam. Sed manifestum est quod eminentia essentiae divinae non dat sibi quod sit omnis creatura realiter et formaliter, sed est aliquid aliud



supereminens et excellens. Ergo nec intellectio divina erit realiter et formaliter intellectio creaturarum, sed tantummodo alicuius alterius excellentis et eminentis.

425 Praeterea, Philosophus, VII *Metaphysicae*, arguens contra ideas Platonis et ostendens quod, si esset homo separatus qui terminaret aspectum intellectus, nihil proficeret ad cognitionem particularium hominum, sic procedit: nulla res cognoscitur, cognito eo quod est omnino aliud et abstractum ab illa; sed homo abstractus, et universaliter omnes ideae, sunt aliud realiter a particularibus et aliquid separatum ab ipsis, secundum Platonem. Ergo cognito homine  
430 simpliciter nihil cognoscitur de particularibus ipsis, immo sistit tota cognitio in universalibus separatis nec res sensibiles per cognitionem illam in aliquo attingentur. Consimiliter ergo argui potest /X 776a/ in proposito quod si divina essentia est id quod terminat divinum intuitum, ita quod omnino ibi sistat Dei cognitio nec ulterius procedat, sequitur quod creaturae, quae sunt omnino aliud, nullo modo scientur.

435 Praeterea, nulla perfectio debet subtrahi ipsi Deo, sed perfectionis est quod ipse suo intuitu lustret, attingat et capiat universa immediate et in se, iuxta illud Apostoli ad Hebraeos 4: “Omnia nuda et aperta sunt oculis eius”; et illud sapientis Prov. 15: “In omni loco oculi Domini contemplatur bonos et malos.” Ergo negari non debet quin divinus intuitus immediate terminetur ad creaturas.

440 Praeterea, Augustinus dicit, VI *De trinitate* capitulo 10, de Verbo Dei quod est ars plena omnium rationum viventium et incommutabilium; et, 83 *Quaestionum* q. 46, ait quod rationes omnium continentur in mente divina, et quod alia ratione conditus est leo et alia homo; et, XI *De civitate Dei* capitulo 11, quod una sapientia est in Deo, in qua sunt infinita quaedam, atque infiniti thesauri intelligibilium rerum, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles  
445 rationes rerum, quae per ipsum factae sunt. Sed manifestum est quod haec intelligi non possunt nisi de creaturis prout sunt in Deo tamquam obiecta secundaria intellecta, quia divina essentia /Vb 369rb/ non est diversae rationes incommutabiles, nec est alia et alia ratio, cum sit unicum simplex. Ergo necesse est dicere quod divinus intellectus non solum attingat essentiam ibi sistendo, immo quod ulterius procedat creaturas suo intuitu attingendo.

450 Praeterea, si non est aliud intelligere creaturas in divina essentia quam ipsam intelligere in se ipsa, sequitur quod quicumque videt essentiam divinam ex hoc ipso videat omnem creaturam. Sed hoc est falsum, quia tunc beatus quilibet videret omnem creaturam et omnia futura nec plus sciret Christus de futuris quam Linus, et ita perirent hierarchicae illuminationes. Ergo non est verum quod intellectio creaturarum in divina essentia non sit aliud quam intelligere essentiam in  
455 se ipsa sistendo ibi, nec ulterius procedendo.

Praeterea, si intellectio divinae essentiae in se ipsa sit intellectio creaturae, sequitur quod creaturarum intellectio sit beatifica, cum visio essentiae in se ipsa sit beatifica. Sed Augustinus dicit in V *Confess.* cap. <4> [2 Vb]: “Beatus est qui videt te, etsi illa non videat”. Loquitur de creaturis. “Si autem te et illa videat, non propter illa, sed propter te solum beatus”. Ergo ultra  
460 visionem qua divina essentia in se ipsa cognoscitur necesse est ut cognoscantur creaturae in se ipsis.

Praeterea, quandocumque aliqua possunt ad invicem separari, illa non sunt idem; sed Augustinus in praedicto verbo dicit beatum esse illum qui videt divinam essentiam, dato quod non videat creaturas, per hoc innuens quod harum visio potest separari ab essentiae visione;  
465 igitur non sunt idem.

Praeterea, omne agens et operans per intellectum circa aliquid de necessitate illud idem attingit per intellectum quod attingit per operationem. Illud enim idem elementum, quod /X 776b/ scriptor manu conscribit, mente et intellectu attingit, ut Augustinus dicit super Iohannem; et Philosophus ait, VII *Metaphysicae*, quod domus quae est in materia eadem est cum domo  
470 quae est in mente. Sed manifestum est quod Deus per operationem suam attingit in se et immediate creaturam quam producit et administrat; nec primo operatur circa suam essentiam, sed absque medio in ipsam creaturam. Ergo et immediate per intellectum attinget in se et intuebitur quamlibet creaturam.

Praeterea, secundum omnes verbum connotat creaturam quae dicitur per verbum. Sed hoc  
 475 non esset nisi creatura reluceret in Verbo tanquam obiectum secundario cognitum. Ergo id quod  
 prius.

**Solutio praedictarum obiectionum** Sed hiis non obstantibus, dicendum est id quod prius. Ubi  
 considerandum est quod aliquid dicitur intelligi terminative, aliquid vero denominative:  
 480 terminative quidem res extra quantum ad illud esse quod habet per modum nostri conspicui,  
 quod est esse in anima et esse diminutum; denominative vero quantum ad illud esse quod habet  
 in re extra, quod verum est et reale; et licet sit eadem res, non tamen esse reale et intentionale  
 sunt idem esse. Sic igitur Deus non intelligit creaturas terminative quasi ipsae terminent  
 intuitum divinum, nec in esse reali nec in esse intentionali; sed alio terminante, videlicet divina  
 485 essentia, ipsae dicuntur denominative intelligi, sicut si res posita in esse intentionali non solum  
 differret secundum esse diminutum a re existente extra, immo secundum esse reale. Constat  
 enim quod tunc res exterior intelligeretur denominative alia re intuitum terminante. Ut verbi  
 gratia, si rosa quae lucet in mente haberet esse reale, sicut habet esse diminutum, ea terminante  
 intuitum intellectus, rosae omnes particulares exterius existentes denominative intelligi  
 490 dicerentur, et non minus perfecte [quam quia rosa illa habet esse diminutum Vb]; et est  
 exemplum ad hoc de imagine quae est intra speculum /Vb 369va/ obiective, non quidem realiter  
 sed intentionaliter, quae si haberet esse reale ibi, differret realiter a re extra speculum existente,  
 quae diceretur visa denominative per hoc quod res alia, videlicet imago existens in speculo,  
 terminaret intuitum videntis. Nec tamen minus propter hoc res exterior denominative videretur,  
 495 immo aspiciens illam imaginem operari posset circa rem exteriorem, utpote circa propriam  
 faciem maculam abstergendo vel componendo et ornando aut super ipsam secundum situs  
 varios manus ducendo. Diceretur igitur aequipollenter et aequae perfecte proprium vultum  
 cernere per hoc quod imago distincta realiter et existens in speculo intuitum terminaret, ac si  
 ipsamet facies existeret in speculo et terminaret aspectum.

500 Ulterius vero considerandum quod sicut si rosa quae existit diminute poni potest realiter  
 subsistere, ita potest et leo sic concipi subsistere, et sic de omni entitate. Si ergo quis imaginetur  
 omnem entitatem sic subsistentem, habet utique /X 777a/ deitatem, sicut superius dictum fuit.  
 Quocirca divinus intuitus terminatus ad deitatem terminatur ad omnem entitatem subsistentem  
 et eminentem; propter quod intelligit denominative omnem diminutam entitatem exaratam ab  
 505 ista subsistente, qualis est omnis entitas creaturae et aequae perfecte operari potest, producendo,  
 disponendo et conservando has diminutas entitates, aspiciendo ad entitatem universalem et  
 subsistentem quae deitas est, ac si aspiceret ad huiusmodi entitates diminutas, sicut patuit in  
 exemplo de facie et imagine immediate inducto.

Sic igitur oportet intelligere Deum habere scientiam creaturarum. Et haec est intentio  
 510 Philosophi et Commentatoris XII *Metaphysicae*; ait enim Commentator ibidem commento <51>  
 [49 Vb] quod sicut ille qui sciret naturam caloris, secundum quod est calor, non diceretur  
 nescire calorem qui est in rebus calidis, sic primus scit naturam entis in eo quod est ens simplex,  
 quod est ipsum; ac si aperte dicat quod ipse est ens simplex, hoc est totus ambitus entis, non  
 quidem particulariter sed totaliter et eminenter. Unde errant illi qui imponunt Commentatori  
 515 quod intellexerit de Deo quod tantum sciret res sub ratione confusissima quae est ratio entis et  
 non sub propriis rationibus et quidditativis. Hoc enim falsum est, immo dixit quod Deus erat  
 totum ens simpliciter et omnis entitas eminenter; et propter hoc noverat res omnes secundum  
 proprias quidditates, quamvis non concessit quod cognosceret singularia illarum quidditatum,  
 sicut infra patebit.

520 Non procedunt ergo instantiae. Prima siquidem non; est enim sciendum quod non solum  
 Deus est omnis entitas eminenter, immo, cum distinctio entitatum quaedam entitas sit, Deus est  
 illa entitas quam importat distinctio, subsistenter tamen et eminenter. Propter quod Deus videns  
 suam entitatem ad ipsam suum intuitum terminando videt quidem omnem entitatem creatam et  
 distinctionem entitatis creatae ab increata et etiam differentiam omnis entitatis creatae  
 525 denominative et aequipollenter, non tamen terminative. Oportet autem quod qui cognoscit  
 distinctionem inter aliqua cognoscat illa distincta eo modo quo cognoscit illam distinctionem, ut

si distinctio cognoscatur tanquam terminus intellectivi aspectus et ipsa distincta cognoscantur ut termini. Si vero distinctio cognoscatur modo denominativo, sicut res sub esse quod habent extra, sufficit quod et distincta eodem **/Vb 369vb/** modo cognoscantur.

530 Non procedit etiam secunda. Verum est enim quod essentia divina ratione suae eminentiae non est quidem formaliter omnis creatura, est tamen aequipollenter et plusquam aequipollenter, quoniam eminenter. Pari ergo ratione, intellectio divinae essentiae, etsi non sit intellectio attingens creaturas formaliter, attinget tamen aequipollenter et plusquam aequipollenter, quoniam eminenter.

535 Non valet etiam tertia, quia noster intellectus non solum novit universalialia, immo et singularialia, in quae sub propriis rationibus non poterat deducere notitia idearum quas Plato ponebat. Deus autem est omnis <entitas> <eminenter et subsistenter> [eminens **/X 777b/** et subsistens Vb] non solum illa quam universale exprimit, immo et illa quam quodlibet proprium singulare habet.

540 Non obsistit etiam quarta, quia non esset perfectionis si divinus intuitus terminaretur formaliter ad ipsam creaturam positam in esse apparenti, quia perficeretur per aliud extra se, ut superius visum fuit. Multo ergo perfectius Deus intelligit creaturas suum intuitum terminando non ad ipsas entitates creatas, sed ad aliquid aequipollens et plus quam equipollens. Nec tamen propter hoc impeditur quin verum sit illud verbum: “Omnia nuda aperta sunt oculis eius”; et  
545 illud: “In omni loco oculi Domini contemplantur”. Eo modo quo videns imaginem faciei suae in speculo dicitur suam faciem contemplari et habere vultum suum in nudo et aperto. Unde quemadmodum visio imaginis est visio faciei, nec tamen visus per imaginem extendit se ad faciem tamquam ad secundarium obiectum, immo totaliter in imagine sistit, sic divinus intuitus <sistens> [subsistens Vb] in deitate, quae est omnis entitas eminenter, nec procedens ulterius ad  
550 aliquam entitatem diminutam creatam, omnem huius entitatem nude cognoscit et habet in aperto.

Non cogit etiam quinta. Licet enim essentia divina simplicissima sit in se, est tamen plures in connotatis. Quamvis enim essentia quae terminat intuitum divinum simplex et una sit tam re quam ratione, nihilominus ea cognita plura dicuntur cognita, non quidem terminative, sed  
555 denominative, ut patet ex praedictis. Et propter hoc rationes incommutabiles dicuntur plures, non quin sit una incommutabilis ratio in se, quae deitas est, sed quia ab ipsa unica existente, plura denominantur et connotantur, sicut apparebit inferius cum agetur de multitudine idearum.

Non obviat quoque sexta. Aliqui namque concedunt quod beatus, videns divinam essentiam, cognoscit necessario omnem entitatem creatam, iuxta illud verbum Gregorii: “Quid est quod  
560 non videant qui videntem omnia vident?”. Nec propter hoc tollitur quin unus beatus sciat plus alio, non quidem quod plura videat, sed eadem clarius et perfectius. Nec etiam tollitur illustratio sive illuminatio, quia illa respicit notitiam rerum non in proprio genere, sed in Verbo. Vel dicendum quod, etsi novit omnem entitatem creatam in aliquo aequipollenti et eminenti, non tamen ex hoc potest formare verbum de illa in proprio genere, nec loqui de illa, nec alteri  
565 exprimere conceptum proprium de illa entitate, quia illum non habet. Nam id quod terminat ipsius visionem non est conceptus proprius obiectivus formatus de creatura, sed ipsa tota entitas deitatis. Quantum ad hoc ergo dicitur nescire et indigere revelante rem in proprio **/Vb 370ra/** genere, ut de ipsa possit loqui et eam alteri aperire. Et si dicatur quod pari ratione Deus non poterat formare verbum de re in proprio genere, utique verum est de Verbo intrinseco. Illud  
570 enim solummodo est Verbum deitatis et ex hoc ipso est verbum omnis creaturae; non quod quaelibet creatura secundum suum esse intentionale et proprium intra mentem divinam formetur, quia secundum hoc relucere **/X 778a/** creaturae in Verbo, [Verbo in Verbo *add.* Vb] et esse<n>t verbum Verbi, quod negat Augustinus, Homil. 1 Super Io.: “Potest tamen Deus creare in mente rationali intellectionem de re in genere proprio, et ita rem illam revelare.”

575 Non obsistit etiam septima. Licet enim intellectio deitatis sit eadem formaliter cum intellectione omnis creaturae et eadem etiam terminative, nihilominus denominative per illam intellectionem dicuntur intelligi creaturae, et quantum ad hoc quod creaturae denominative illa intellectione intelliguntur non est ipsa intellectio beatifica. Vel dicendum quod intellectio creaturarum in divina essentia dicitur beatifica quantum ad sui realitatem et quantum ad

580 obiectum terminative intuitum, non autem quo ad obiectum denominatum et connotatum, quae est creatura, et hoc intelligit Augustinus.

Non procedit quoque octava, quia non est verum quod possit separari notitia creaturarum a notitia deitatis eo modo quo supra expositum est.

585 Non valet etiam nona. Licet enim in intellectu creato operans per ipsum attingat idem realiter per operationem quod attingit per intellectionem, aliquo modo tamen est aliud, quia intentionaliter et diminute; nec tamen illa alietas impedit quin operans sufficienter dirigatur per illud quod est intentionaliter aliud et nec impediretur si esset aliud realiter, sicut supra declaratum est de contingente faciem propriam secundum directionem imaginis in speculo existentis.

590 Non obviat etiam ultima, quia si creatura reluceret in Verbo, non solum Verbum se haberet ad creaturas tamquam denominans et connotans eas, sed magis ut Verbum continens multa verba distincta. Creaturae namque relucentes in deitate apparente divino intellectui, quae quidem ut sic Verbum divinum est, essent verba in Verbo et verba Verbi. Et ideo talis multitudo tollenda est, et relinquenda sola deitas ut apparens, quae ut sic est Verbum deitatis, et per  
595 consequens Verbum omnis creaturae et omnis entitatis.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### Articulus Tertius

**Quam habitudinem habet intellectio creaturarum ad intellectionem essentiae in Deo, et  
600 primo an sint duae intellectiones, saltem secundum rationem. Opinio communis.** Circa tertium vero considerandum quod habitudo intellectionis creaturarum ad intellectionem essentiae in Deo ex inquisitione triplici poterit apparere.

Prima quidem an sint duae intellectiones differentes saltem secundum rationem.

605 Secunda vero an istarum intellectionum una sit practica, videlicet creaturarum cognitio, et alia speculativa, scilicet essentiae notitia.

Tertia vero an una productionem Verbi praecedat saltem secundum rationem, videlicet notitia **/X 778b/** essentiae, et altera subsequatur intellectio, scilicet creaturae.

In prima igitur inquisitione dixerunt aliqui quod, licet Deus eadem intellectione realiter feratur in essentiam et omnem creaturam, non tamen eadem intellectione secundum rationem,  
610 immo mens potest apprehendere et resolvere illam realem intellectionem in duas secundum rationem, quarum una tendit in **/Vb 370rb/** essentiam, altera vero in omnem creaturam. Plurificatis enim obiectis alicuius notitiae, necesse est notitiam illam plurificari, saltem secundum rationem. Potest enim apprehendi illa notitia ut est quaedam tendentia super alterum obiectorum, absque hoc quod apprehendatur per modum tendentiae super alterum, et ita  
615 multiplicabuntur tendentiae et notitiae, saltem secundum rationem. Sed constat quod essentia et creaturae sunt diversa cognita. Ergo divina intellectio quae illa attingit, existens eadem secundum rem, resolvi poterit in plures secundum rationem.

Praeterea, impossibile est quod eadem intellectio secundum rem et rationem sit beatifica et non beatifica, practica et non practica, praecedens aliquid et illud non praecedens, alioquin primi  
620 principii unitas tolleretur. Sed intellectio divinae essentiae est in Deo beatifica, intellectio vero creaturarum non beatifica. Et iterum intellectio essentiae est pure speculativa et non practica, intellectio vero creaturarum practica est et operativa. Et rursus notitia essentiae praecedit Verbum, notitia vero creaturae subsequitur. Ergo necesse est quod huiusmodi intellectio ab illa differat saltem secundum rationem.

625

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione.

630 Prima quidem quod intellectio essentiae et creaturae in Deo sic est eadem et re et ratione quod mens non potest vere et sine falsitate apprehendere illas ut duas, nec concipere unam quin concipiat aliam. Si enim mens apprehendat intellectionem qua Deus intelligit creaturam ut aliam ab intellectione qua intelligit essentiam, aut hoc est quia intellectio creaturae concipitur ut tendens immediate in eam absque essentia; aut ut tendens in eam mediante essentia, et ita ut

differens ab illa quae praecise in essentiam tendit. Unde possumus dicere quod <1.> vel differunt secundum praecisionem, quia intellectio essentiae concipitur ut tendens praecise in  
 635 essentiam, intellectio vero creaturae ut simul tendens in essentiam et cum hoc in creaturam; <2.> vel quod differunt secundum disparationem, quia una disparate tendit in creaturam absque essentia, altera vero in essentiam divinam.

Sed manifestum est quod, si primum detur, iam non sunt duae intellectiones, sed una quae quandoque sumitur ut praecise ad essentiam terminatur, quandoque vero sumitur eadem ut cum  
 640 hoc ulterius procedens ad creaturam. Et secundum hoc non est aliqua distinctio in ipsa intellectione, sed tantum in obiectis. Nam si alia est intellectio quae praecise fertur in essentiam ab illa quae fertur in essentiam et creaturam, sequitur quod duplici intellectione secundum rationem /X 779a/ intelligit Deus suam essentiam, una scilicet praecise sine creatura, altera vero simul cum creatura. Immo non oportet primam ponere, quia sufficienter intelligit Deus suam  
 645 essentiam per secundam. Et sicut in secunda intellectio essentiae et creaturae non est alia et alia intellectio secundum rationem, immo simpliciter una, sic absolute dici oportet quod in Deo non est alia intellectio creaturae et essentiae, etiam secundum rationem.

Nec potest etiam dari secundum, quod scilicet differant secundum disparationem. Impossibile est enim vere concipere quod Deus immediate intelligat creaturam non intelligendo  
 650 suam essentiam, quia tunc non esset ratio intelligendi creaturam, nec mediaret in Deo inter actum intellectionis et ipsam creaturam, nec esset obiectum primum illius intellectionis qua a Deo apprehenditur creatura; quod dici non potest nec etiam conceditur ab ipsis. Ergo manifestum est quod intellectio Dei non potest resolvi in duas secundum rationem, quarum una sit essentiae et altera creaturae.

Secunda vero propositio est quod sic est eadem intellectio /Vb 370va/ secundum rationem in se quod nec differt etiam in obiectis ad quae terminatur, quasi eadem intellectio sumatur nunc ut praecise attingens essentiam, nunc ut tendens in essentiam simul et creaturam. Secundum hoc enim oporteret quod creaturae terminarent divinum intuitum per se et immediate, et terminaretur idem intuitus ad plura, scilicet ad essentiam et creaturam, et dependeret Dei intuitus a creatura,  
 660 et multa alia impossibilia quae superius sunt inducta. Unde necesse est quod non solum intellectio sit eadem irresolubilis in duas secundum rationem, immo et intellectum sive intuitum, illud scilicet quod terminat divinum aspectum, dum intelligitur essentia et creatura non esse aliud secundum rationem, immo penitus esse irresolubile, tamquam quid unicum et simplicissimum ratione.

Tertia quoque propositio est quod ista intellectio existens eadem et in se et in obiecto terminativo differt in obiectis quae dicuntur denominative intelligi et cognosci, ita ut nulla differentia rei vel rationis remaneat intrinsece penes Deum, nec quo ad actum intellectus, nec quo ad terminum intuitum et obiectum; sed tota differentia sit in denominatis et connotatis quae sunt Deus et creatura.

Nec valent motiva praecedentis opinionis. Primum siquidem non, quia non est verum quod obiecta terminantia intuitum divinum diversa sint, ut declaratum est statim, quamvis plura sint quae dicuntur intellecta et cognita secundum denominationem. Obiecta autem denominata non plurificant actum nec re nec ratione, sed obiecta quae terminant intuitum et aspectum.

Non valet etiam secundum. Sicut enim eadem intellectio secundum rem est beatifica et non  
 675 beatifica, ita et eadem secundum rationem, quamvis secundum aliud et aliud connotatum. Unde dicendum quod nulla est intellectio in Deo quae non sit beatifica, sed intellectio beatifica aliqua connotat quae non beatificant, videlicet creaturas, aliquid vero quod beatificat, videlicet essentiam ut in se. Essentia quidem posita in esse prospecto, quae ut sic Verbum est, terminat intellectionem /X 779b/ divinam beatificam; non tamen secundum rationem istam qua est in  
 680 esse prospecto beatificat, alias Verbum per proprietatem personalem esset obiectum beatificum, quod dici non potest. Quod vero additur de praecessione et de practico et non practico in sequentibus apparebit.

**An istarum intellectionum alia sit practica et alia speculativa. Opinio Thomae, Parte 1,**  
 685 **quaestione 14.** In secunda vero inquisitione dixerunt aliqui quod notitia quam Deus habet de

sua essentia est pure speculativa; de creaturis vero quas disposuit se facturum habet scientiam practicam; sed de illis quas cognoscit, nec tamen eas se producturum disposuit, habet solum notitiam simplicem et speculativam.

Et primum quidem declarant quia omnis notitia quae est gratia sui est speculativa, non  
690 practica, ut patet in I *Metaphysicae*. Sed notitia quam Deus habet de sua essentia est omnino gratia sui. Non enim ordinatur ad amorem aut aliquid aliud, cum sit ultimus finis, et in ipsa principaliter et ultimate beatitudo consistat. Ergo non est practica, immo pure speculativa.

Secundum vero et tertium ex hoc patent quod finis speculativae est veritas, practicae vero scientiae opus, ut Philosophus dicit in I *Metaphysicae*; et per consequens tantum illa notitia  
695 practica est quae ordinatur ad opus. Sed manifestum est quod notitiam illarum rerum quas numquam Deus facturum est non ordinat ad opus. Ergo respectu illorum non habet notitiam practicam, sed tantum respectu eorum quae disposuit se facturum.

Sed hic modus dicendi quantum ad id quod secundo et tertio dicit /Vb 370vb/ stare non potest. Si enim tantum notitia fiendorum sit practica et non factibilium, dato quod non sint  
700 fienda, sequitur quod ars viellandi vel scientia medicinae in hiis qui non proponunt unquam viellare aut potiones dare, erunt speculativae et non practicae. Unde quilibet poterit pro libito voluntatis suam scientiam nunc facere practicam, proponendo uti ea, nunc vero speculativam, proponendo quod numquam illa utatur. Hoc autem dicere absonum est. Ergo quod Deus proponat res aliquas se facturum, alias vero non, nihil facit ad hoc quod illa notitia sit practica et  
705 ista speculativa.

Praeterea, scientia practica dicitur activa vel operativa, ut patet VI *Metaphysicae*. Haec autem activitas non oportet quod sit actualis, alias nullus haberet scientiam practicam nisi dum actu operatur, sed intelligi debet potentialis et aptitudinalis. Sed manifestum est quod notitia quam habet Deus respectu rerum quas etiam non disposuit se facturum dici potest activa  
710 activitate aptitudinali. Posset enim Deus producere per eam illa quae non producet. Ergo talis notitia practica remanebit. /X 780a/

**Opinio Ricardi in Scripto suo primo.** Propterea dixerunt alii quod divina scientia potest comparari <1.> vel ad res scitas, et sic est practica cum sit respectu operabilium et causabilium  
715 per ipsum, vel ad sciendi modum, et sic est simul speculativa et practica. Scit enim eas modo speculativo in quantum scit eorum definitiones, divisiones, proprietates, habitudines universalium ad particularia, et multa alia quae nihil faciunt ad operationem et productionem. Hoc autem modo scire operabilia est scire speculative. Practica enim scientia cavere debet ne inquirat veritates quae parum aut nihil faciunt ad opus. Unde non debet investigare plura  
720 operibus, ut Philosophus dicit in I *Ethicorum*. Scit vero ea modo practico in quantum novit singulares eorum condiciones et habitudines, quae dirigunt ad operationem. <2.> Vel potest comparari ad voluntatem divinam, et sic dici non potest plene practica, quia scientia, quae plene practica est, determinat voluntatem artificis ad operandum illud quod intellectus practicus per scientiam dictat. Constat autem quod non sic est in Deo. Non enim quia divinus intellectus dixit  
725 rectum esse mundum creari, ideo voluntas imperavit ut mundus crearetur, alioquin de necessitate mundum voluisset creare, cum divina voluntas a dictamine intellectus obliquari non possit. Unde fuit potius e converso, scilicet quod divinus intellectus dictavit rectum esse mundum creari, quia voluntas voluit creationem mundi futuram. Secundum hoc ergo patet quod Dei notitia quam habet de creaturis non est plene practica, est tamen aliquo modo, quia nisi  
730 intellectus ostendisset voluntati mundi factionem, eam non potuisset imperare voluntas.

Sed nec iste modus dicendi rationalis est quoad duo. Primo quidem in eo quod ait scire operabilia, quoad eorum definitiones, divisiones, et habitudines, ad scientiam speculativam, et non practicam, pertinere. Constat enim quod moralis scientia tradita in libro *Ethicorum* vere practica est et activa. Sed Philosophus ibidem felicitatem et virtutem definit, virtutes dividit, et  
735 earum proprietates inquirat. Ergo nosse definitiones et divisiones et huiusmodi de rebus operabilibus spectat ad scientiam practicam et non speculativam.

Praeterea, si verum esset quod scire talia de operabilibus ad scientiam speculativam pertineret, /Vb 371ra/ sequeretur quod de omni operabili possent esse duae scientiae, scilicet

practica et speculativa. Sed nullus dicit quod sit duplex moralis, una practica et altera  
740 speculativa. Igitur id quod prius.

Nec valet si dicatur quod immo medici distinguunt medicinam in theoreticam et practicam, et  
similiter grammatici dicunt quod grammatica quaedam est positiva, quaedam theoretica, et logici  
dividunt dialecticam in docentem et utentem, et similiter de musica et geometria. Non valet,  
inquam, nam medicina omnis est practica, sed habituum practicum quidam sunt subiective in  
745 intellectu speculativo et in ratione universali, /X 780b/ et illi sunt proprie scientiae practicae,  
quidam vero in intellectu consiliativo sive in ratione [universali *add.* Vb] particulari, sicut ars et  
prudentia. Et haec patent ex hiis quae dicuntur in VI *Ethicorum* et etiam supra in quaestione qua  
queritur de theologia an sit speculativa vel practica. Sic igitur medicina quae reputatur  
speculativa est vere scientia practica, existens in ratione universali et parte animae speculativa;  
750 illa vero quae appellatur practica est quaedam ars particularis ex assuefactione operum acquisita  
in ratione particulari. Et idem intelligi oportet de musica et arte scribendi. Divisio vero  
grammaticae in theoreticam et positivam non est proprie penes practicum et speculativum, sed  
penes condiciones scibilium veritatum. Quedam vero grammaticae veritates dependent a  
voluntate hominum et fiunt ad placitum, ut illae quae sunt de declinationibus, terminationibus,  
755 et significationibus dictionum, respectu quarum grammatica dicitur positiva. Quedam vero non  
dependent, ut illae quae sunt de modis significandi, respectu quarum grammatica non est  
scientia positiva. Geometria vero nulla proprie practica est. Nam geometria quae docet  
mensurare altitudines turrium, profunditates puteorum, et longitudes ac latitudes arearum,  
quae dicitur proprie practica, est alia scientia a geometria dicta simpliciter sibi subalternata,  
760 sicut et perspectiva. Non est enim de linea simpliciter, sed de linea applicata ad materiam  
sensibilem, utpote terram vel turrem, sicut et aspectiva est de linea visuali.

Praeterea, ad scientiam practicam non solum spectat scire subiectum operabile, immo et  
omnia quae quodammodo aspiciuntur ab operante <et> attinguntur per operationem. Sed nulla  
veritas est de aliquo factibili, quin operans intendat eam realiter inducere in operato. Intendit  
765 enim tale opus agere quod de eo possint omnes veritates huiusmodi enunciari. Et licet forte eas  
principaliter non intendat, nihilominus intendit secundario, cum non intendat facere opus  
diminutum, immo usquequaque perfectum et completum. Ergo scire omnem proprietatem et  
definitionem et quicquid est complementi in opere ad practicam scientiam pertinebit.

Praeterea, ad scientiam practicam spectat quod doceat operari, docendo scilicet operabile et  
770 modum operandi. Sed omnis veritas possibilis haberi de operabili quodammodo est operabilis,  
quia per accidens. Producens enim particulare producit universale et omnem habitudinem ac  
veritatem formabilem in universali. Ergo scientia practica docere potest omnem veritatem  
possibilem de obiecto factibili.

Secundo vero deficit in eo quod ait ad scientiam plene practicam pertinere quod determinet  
775 voluntatem artificis ad agendum. Constat enim quod musica est scientia practica. Sed  
manifestum est quod non dictat cantori quando canendum vel subticendum, immo magis hoc  
spectat ad prudentiam. Igitur non est verum quod scientia /Vb 371rb/ practica <ut> [unde Vb]  
practica determinet voluntatem artificis ad agendum. /X 781a/

Praeterea, si ars vel scientia practica determinaret voluntatem ad agendum, tunc error in  
780 huiusmodi reduceretur in defectum scientiae vel artis. Sed manifestum est quod canere quando  
non est canendum vel operari quando non est operandum non ostendit defectum artis, sed potius  
defectum prudentiae. Igitur id quod prius. Unde considerandum est quod aliquando operabile  
determinat sibi tempus, ut medicina non est omni tempore ministranda, sed in tempore  
determinato et certo; et similiter non est omni tempore serendum ac metendum. Quandoque  
785 vero operabile non determinat sibi tempus, ut vocis modulatio. Et talis est mundi creatio in  
ordine ad Deum. Ubi igitur operabile sibi tempus determinat, ibi verum est quod notitia practica  
dictat voluntati artificis quod agendum est, et ipsam ad operandum inclinat. Ubi vero non  
determinat operabile sibi tempus, ibi scientia practica non inclinat pro illo tempore determinato  
artificem ad agendum, sed solum ostendit, si velit agere, quid et qualiter sit agendum. Nec  
790 propter hoc tollitur quin scientia talis plene sit practica. Sic igitur Dei notitia respectu

creaturarum non impeditur quin remaneat practica, et quoad modum sciendi et quoad modum se habendi ad voluntatem divinam, ut omnipotentia illa ponebat.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat ergo nunc dicere quod videtur sub triplici  
795 propositione. Prima quidem quod non solum intellectio creaturarum practica est, immo etiam  
notitia essentiae divinae est practica, non quidem respectu essentiae, sed respectu creaturarum.  
Hoc autem sic patet: declaratum est enim supra quod non est alia notita creaturarum in Deo  
quam notitia ipsius essentiae, sic quod nosse essentiam est omne aliud cognovisse. Ille igitur  
intuitus qui praecise ad essentiam terminatur, cum sit directivus respectu divinae operationis per  
800 quam Deus creaturam attingit et administrat, est intuitus practicus et intellectio activa. Activitas  
enim directiva tribuit intellectioni ut practica dicatur, ut in quaestione de speculativo et practico  
dicebatur. Sed intellectio essentiae divinae habet activitatem directivam respectu omnium  
creandorum. Ergo intellectio divinae essentiae est practica respectu creaturarum.

Praeterea, Augustinus, *83 Quaestionum* q. 46, dicit quod “Deus non aliquid extra se positum  
805 intuebatur, ut secundum illud constituerit quod constituebat”. Ex quo patet quod intuitus divinae  
essentiae et non alicuius alterius extra ipsam entitative existentis est ille qui dirigit in  
constitutione atque productione rerum. Sed per hunc modum dirigere spectat ad intuitum  
practicum. Igitur intellectio illa quae practica est in Deo non terminatur ad creaturam, sed ad  
divinam essentiam.

810 Secunda vero propositio est quod huiusmodi notitia non minus nobilis est quam si esset  
speculativa, immo nobilior et perfectior est. Ubi considerandum quod scientiae practicae in  
nobis in uno quidem nobiliores sunt speculativis et ignobiliores in duobus: nobiliores quidem  
sunt in ratione activitatis, quia non solum attingunt obiecta cognitive, immo quodammodo  
operative et active. Ignobiliores vero sunt et quia habent obiecta ignobiliora; nam operabilia a  
815 nobis non sunt ita nobilia, sicut caelum et terra et substantiae /X 781b/ separatae et alia quae  
sunt obiecta scientiarum speculativarum; non equatur caelo forma domus vel vestis. Dicit autem  
Philosophus in I *De anima* quod “bonorum et honorabilium notitiam opinantes magis nobilis est  
altera altera”, quia de meliori et nobiliori subiecto est. Ignobiliores etiam sunt quia gratia sui  
non sunt, sed ordinantur ad operationem, quia respectu talium obiectorum melior est operatio  
820 quam /Vb 371va/ cognitio, ut Philosophus dicit in I *Ethicorum*. Ait enim quod respectu  
moralium cognitio quidem parum aut nihil prodest, operatio vero multum; et idem dicit in  
secundo. Sic igitur intellectio terminata ad divinam essentiam dicitur practica respectu  
creaturarum, retinendo quidem conditionem activitatis, in qua practica scientia speculativam  
excellit, excludendo vero ignobilitatem obiecti. Nam et obiectum intuitum, quod est divina  
825 essentia, et obiecta denominata, quae sunt caelum et terra et omnis creatura, nobilissima sunt, et  
iterum excludendo conditionem aliam, quia illae intuitus non est gratia creaturae aut gratia  
productionis ipsius, sed omnino gratia sui. Et ita nobilior est quam si esset speculativa, sicut si  
noster intellectus posset producere caelum et terram et omnem abstractam substantiam practica  
esset scientia quam haberemus de ipsis, et esset multo nobilior quam ista quam nunc habemus,  
830 quamvis sit speculativa.

Tertia quoque propositio est quod intellectio divinae essentiae in ordine ad amorem  
beatificum, quo se diligit infinite, practica dici non potest. Tum quia amor ille non est aliquid  
elicatum etiam secundum rationem, ut inferius ostendetur, propter quod intellectio illa nullam  
potest habere activitatem, etiam secundum rationem, respectu amoris huiusmodi, omnino  
835 inelicitum et subsistentis. Tum quia amor divinus et intellectio non differunt inter se, etiam ratione,  
quamvis differant eorum connotata, sicut supra dum ageretur de attributis extitit declaratum est  
et apparebit inferius in tractatu de voluntate. Non igitur potest habere rationem activitatis  
intellectio respectu amoris, sicut nec deitas respectu deitatis. Coincidit enim utrumque  
secundum rem et rationem in deitatem et eius simplicem rationem, ut superius dictum fuit. Sed  
840 forte dicetur quod impossibile est intellectionem divinam ad eius essentiam terminatam esse  
practicam et non practicam. Sed dicendum quod non est inconveniens respectu diversorum:  
practicam quidem respectu creaturarum, quarum productionem dirigit et mensurat; speculativam  
vero respectu divinorum, quorum productionem dirigere non potest, ut dictum est. /X 782a/



845 **An intellectio creaturarum praecedat productionem Verbi vel subsequatur. Opinio Scoti et plurium aliorum.** In tertia quoque inquisitione dixerunt aliqui quod intellectio essentiae et intellectio creaturarum praecedit ordine rationis Verbi productionem. Illud enim quod communicatur alicui per productionem praeintelligitur in producente, quia non potest communicare quod non habet. Sed Pater producendo Verbo communicat intellectionem  
850 creaturarum. Ergo praeintelligitur eam in se habere.

Praeterea, secundum Augustinum, VI *De trinitate*, Filius procedit a Patre, sicut lumen de lumine et ars de arte. Sed ars importat notitiam creaturarum. Ergo Pater praehabet in se notitiam creaturarum, secundum quam dicitur ars aliquo ordine rationis prius quam Filius producat.

Praeterea, Verbum in divinis non solum est verbum essentiae, immo est verbum creaturae.  
855 Sed non procederet ut verbum creaturae, nisi intellectio creaturae praecederet in Patre. Igitur id quod prius.

**Opinio aliorum.** Dixerunt vero alii quod productio Verbi intellectionem creaturarum praecedit ordine rationis, quia quod est essentialius et intimius Deo secundum rationem praecedere  
860 videtur minus essentialius. Sed emanatio Verbi est quid intimius et essentialius in Deo quam intellectio creaturarum. Nihil enim connotans creaturarum est ita intimum Deo sicut persona. Ergo emanatio Verbi prius intelligi debet quodam ordine rationis in Deo quam intellectio alicuius creaturae.

Praeterea, omne necesse esse praecedit et prius **/Vb 371vb/** est quam contingens. Sed  
865 personae divinae et emanatio Verbi sunt quaedam necesse esse, creaturae vero sunt contingentes, et quaedam earum notitia est contingens, utpote illa quae est respectu futuri contingentis. Potuit enim Deus non nosse Antichristum futurum, quia potuit non esse futurus. Ergo emanatio Verbi praecedit huius intellectionem.

870 **Opinio Aliorum.** Dixerunt quoque alii inter hos mediante quod ‘verbum’ potest dupliciter considerari: primo quidem ut verbum essentiae; secundo vero ut verbum creaturarum. Et secundum hoc productio Verbi, in quantum est Verbum essentiae, praecedit intellectionem creaturae; in quantum vero est verbum creaturae, non praecedit. Impossibile est enim intellectionem concipi sine verbo. Sed intellectio essentiae praeintelligitur intellectioni  
875 creaturae. Ergo Verbum essentiae praeintelligitur intellectioni creaturae. Secundum hoc igitur praecedit emanatio Verbi.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub duplici propositione. **/X 782b/**

880 Prima quidem quod si accipiatur ‘prius’ in quo, sic inquisitio nulla est, quia in nullo priori etiam secundum rationem potest intelligi Pater nec aliquid in Patre quin intelligatur Filius et sua emanatio et omnis perfectio in eo; quod patet ex supra determinatis. Nam superius dictum est quod impossibile est intelligi essentiam nisi in tribus, nec perfectionem aliquam in aliquo trium quin intelligatur in altero. Et ita in nullo priori nec in aliquo signo originis praecedit intellectio  
885 emanationem Verbi, sicut nec ipsum Verbum etiam secundum nostrum modum intelligendi.

Secunda vero propositio est quod si accipiatur ‘prius’ non in quo, sed quodammodo ut ex quo et secundum originem aliqualem, sic Verbi emanatio praecedit quodammodo intellectionem, non solum creaturae, immo et ipsius essentiae, cum non sit nisi una intellectio et unicum simplex terminative prospectum.

890 Quod ergo productio Verbi isto modo praecedat apparet, quia verbum non est aliud quam res posita in esse apparenti, ita quod habitudo huiusmodi apparentiae obiectivae quae verbum est ad id quo apparet est de genere actionis et ipsius verbi productio; habitudo vero ad id cui fit apparitio, vel potius id cui fit apparitio, dicitur intellectio et intelligens, ut superius dictum fuit. Sed manifestum est quod habitudo prima praecedit secundam ordine originis, et cuiusdam  
895 causalitatis. Quod enim facit quod aliquid sit apparens facit etiam quod alicui sit apparens. Ergo Verbi productio praecedit per modum originis completivam rationem ipsius intellectionis.

Praeterea, verbum intelligitur ut quiddam intentionale terminans intuitum et aspectum, qui ‘intellectio’ nominatur; et impossibile est apprehendi intuitum quin terminetur ad aliquid tale. Sed productio talis termini necessario praecedit prioritate originis illum terminum, sine quo  
900 intellectio esse non potest. Ergo productio Verbi praecedit origine intellectionem omnem in Deo, non quidem prioritate originis qua intellectio originetur, sed qua originatur aliquid necessario ad intellectionem exitum per modum termini, scilicet Verbum.

Est autem considerandum quod nulla est differentia in hoc in intellectione essentiae et creaturarum. Cum enim sit unica intellectio et unicum intuitum, non debet imaginari quod una  
905 praecedat aliam, vel terminus unius terminum alterius; sed est unicus terminus cuius productio et emanatio praecedat.

Non valent autem /Vb 372ra/ motiva primae opinionis. Primum siquidem non, quia Pater non communicat Filio nisi intellectionem formalem, producendo scilicet Filium tamquam terminum intellectionis suae. Unde in <nullo> [illo Vb] priori Pater praecedat Filium, nec  
910 intellectio paterna Verbum, sed in illo eodem signo quo Pater vel eius intellectio apprehenditur necesse est Verbum apprehendi tanquam terminum eius, cui etiam formalis intellectio communicata apprehendatur. Et secundum hoc non est aliud Patrem habere prius origine intellectionem, quam eam /X 783a/ habere a se, nec Filium habere eam posterius, quam habere a Patre.

Et si dicatur quod intellectio, ut in Patre, habet pro termino essentiam ut in Patre, non valet, quia esse terminum intellectionis est habere esse apparens et per consequens rationem Verbi, quare nec paterna intellectio nec aliarum personarum potest habere <aliquid> pro termino nisi Verbum.

Non valet etiam secundum, quia Filius procedit a Patre tamquam ars obiectiva. Est tamen in  
920 Filio ars et intellectio formalis; formalis vero ars nec intelligi potest nec esse nisi terminetur ad artem obiectivam, quapropter huiusmodi artis productio praecedat quodammodo origine artem formalem, quae communis est tribus, cum praecedat terminum eius.

Non valet etiam tertium, quia non est verum quin procedat Filius et ut verbum essentiae et ut verbum creaturae, quamvis intellectio creaturae et essentiae non praecedat. Intellectio namque  
925 non praecedat formationem sui termini, sed potius e converso.

Non valent etiam motiva secundae opinionis. Primum siquidem non, quia falsum assumit, scilicet quod productio Verbi sit intimior Deo quam intellectio creaturae aut aliquod essentiale, immo videretur potius e converso, quod scilicet essentialia essent intimiora cuilibet personae.

Non valet etiam secundum, quia non est verum quod aliqua intellectio existens in Deo  
930 contingens sit, cum sit id ipsum quod Deus, et per consequens summe necesse esse. Quomodo autem futuri contingentis notitia possibilis sit in Deo inferius dicitur.

Non valet etiam motivum opinionis tertiae, quia non est verum quod sit aliud Verbum essentiae et aliud verbum creaturae, etiam secundum rationem. Est enim unus simplex terminus intuitus divini et suae intellectionis, quae resolvi non potest in duo secundum rationem, ut prius  
935 dictum fuit.

Et in hoc tertius articulus terminetur.

### Articulus Quartus

**Quid scilicet sit obiectum intellectus divini. Opinio Thomae in suo primo Scripto.** Circa  
940 quartum vero considerandum quod aliqui de obiecto distinguentes dicunt quod intellectum dupliciter dicitur, sicut visum. Est enim visum primo quod est ipsa species rei visibilis in pupilla existens, quae est etiam perfectio videntis et principium visionis et medium rei visibilis; et est etiam visum secundum quod non est aliud quam res ipsa existens extra animam. Similiter etiam intellectum: primum quod non est aliud quam similitudo rei, et intellectum secundum quod non  
945 est aliud quam res ipsa quae per similitudinem intelligitur. Secundum hoc ergo obiectum primum est similitudo rei, secundarium vero res ipsa. Et ideo, cum queritur quid sit obiectum intellectus divini, si loquimur de primo intellecto et primo obiecto, nihil aliud nisi sua essentia, quia non recipit species rerum, sed per essentiam suam, quae est similitudo omnium, cuncta cognoscit; sed si loquimur de obiecto secundo, /X 783b/ quod est secundario intellectum, sic

950 non tantum intelligit se, sed et alia; et per consequens non solum sua essentia est obiectum eius, sed et alia omnia.

Sed hic modus dicendi deficit in duobus. Primo quidem in eo quod ait in nobis quantum ad sensum vel intellectum quod species perficiens [*inv. Vb*] potentiam sit primo visa vel intellecta. Hoc enim falsum est in visu et in intellectu: **/Vb 372rb/** in visu quidem quia visiva potentia, cum sit organica, non est super se ipsam reflexiva, sed si primo videretur species, quae existit in  
955 oculo, visus super se ipsum reflecteretur et esset primo sensibile positum super sensum. Ergo species non primo videtur.

Praeterea, si visio primo terminaretur ad speciem, aut ibi sisteret tanquam in termino ultimato, aut cum hoc procederet ad rem extra. Sed non potest dari primum, quia tunc res  
960 exterius existentes et multum distantes non terminarent nostrum intuitum et aspectum, cuius oppositum experimur; nec etiam secundum, quia tunc in qualibet visione experiremur duos terminos: unum primum, qui immediate attingeretur, et alium secundum – quod tamen nullus experitur. Non enim experimur nostrum intuitum ad aliquid terminari nisi ad rem extra. Igitur species existens in oculo non est prima visa.

965 Praeterea, visus non decipitur circa suum terminum primum, quia sensus non errat circa proprium et primum sensibile. Sed manifestum est quod visus non iudicat terminum aliquem suae visionis esse in oculo, immo in speculo si videat per reflexionem, vel in spatio extrinseco si videat directe. Ergo nihil existens in oculo potest esse primus terminus visionis. Unde species non se habet tanquam primum obiectum.

970 In intellectu etiam hoc poni non potest. Constat enim quod intellectus experitur et iudicat omne illud quod intuitum suum terminat. Sed manifestum est quod intelligens rosam non experitur nec iudicat in suo intuitu duos terminos, sed tantummodo unum. Intelligens quidem rosam non distinguit speciem rosae ab ipsa rosa, immo aliquibus videtur quod nec etiam species sint ponendae, sed solum actus transiens in obiectum. Ergo impossibile est quod species sit  
975 primum intellectum.

Et si dicatur quod propter similitudinem quae est inter speciem et rem ipsam intellectus decipitur, nec potens distinguere inter rem et speciem, et ita apprehendit rem ut unum, non valet quidem: tum quia in omni simplici intelligentia erit error et falsitas, cuius oppositum dicitur in III *De anima* et IX *Metaphysicae*; tum quia non est aliud esse terminum intellectionis vel  
980 intellectivi aspectus quam aspici seu iudicari; quare, si termini duo sunt, necessario duo iudicata sunt, quare iudicabit intellectus se duo intueri, scilicet similitudinem rei et ipsam rem.

Praeterea, superfluitas non est ponenda in rebus, quia frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora, ut Philosophus dicit I *Politicae* et I *Physicorum*; sed absque hoc quod intellectio prius terminetur ad speciem immediate potest ad rem ipsam terminari. Non enim magis est  
985 difficile quomodo immediate intellectio in rem ipsam iudicative procedat quam quomodo postquam attingit speciem ulterius protendatur **/X 784a/** ad rem ipsam. Sicut enim ultima ista protensio non terminatur primo ad speciem aliquam et deinde ad rem, sed immediate attingit rem, sic potest esse de primo aspectu et intuitu intellectus. Ergo poni non debet quod species sit primum intellectum.

990 Praeterea, si species est id ad quod primo intellectio terminatur, sequitur quod omnis propositio et omnis enunciatio erit falsa. Species namque praedicati non est species subiecti in aliqua propositione. Intellectus autem enuntiat de hoc quod aspicit, cum dicit ‘homo est animal’, quod unum sit aliud realiter. Si igitur aspicit species animalis et hominis, propositio est simpliciter falsa, immo et omnis intellectus componens omnino falsus erit quantum ad ista quae  
995 primo componit. Sed hoc est absonum **/Vb 372va/** dicere. Igitur et quod species sit primum intellectum.

Et si dicatur quod duae species, animalis et hominis, non plus differunt quam homo et animal, non valet pro eo quod illae species sunt duae qualitates realiter distinctae, existentes in anima subiective; homo vero et animal sunt duae intentiones existentes in anima obiective, quae  
1000 extra animam sunt penitus realiter unum et idem. Propter quod vere enunciatum quod homo sit animal et intellectus ambo vere componit.

Secundo vero deficit in eo quod ait in Deo quod essentia gerit rationes similitudinis et speciei. Similitudo enim et species sunt ratio et medium cognoscendi et non ipsum primo cognitum obiective. Sed divina essentia non habet rationem medii sive principii intellectionis  
 1005 creaturarum, quia in Deo non est intellectus potentia nec ratio secundum quam intellectus actum eliciat, cum divinum intelligere omnino sit subsistens simpliciter inelicitum et re et ratione. Ergo dici non potest quod essentia divina se habeat sicut species et creaturae sicut obiecta cognita per eandem.

Praeterea, aut divina essentia pro eo dicitur se habere ut species et similitudo, quia est primo  
 1010 cognitum terminative, creaturae vero exteriores tantum denominative, aut quia est ratio cognoscendi, et creaturae sunt primus terminus illius cognitionis. Sed non potest dici primum, quia probatum est quod species non est primus terminus intellectionis nec aliquo modo primum obiectum; nec potest dari secundum, quia tunc creaturae essent primaria obiecta intellectus divini, quod est contra Philosophum, XII *Metaphysicae*, et Augustinum, 83 *Quaestionum* q. 46,  
 1015 qui ait quod nihil extra se positum Deus intuebatur. Non igitur essentia divina gerit similitudinem speciei.

**Opinio Scoti, <I *Sententiarum*, distinctione 35, quaestione unica> [I suo Vb].** Propterea dixerunt alii quod divina essentia est obiectum intellectus sui et est obiectum primum et est  
 1020 etiam adaequatum.

Est quidem obiectum. Ad cuius evidentiam considerandum quod obiectum habet habitudinem duplicem ad potentiam: unam quidem sicut motivi ad mobile, secundum Philosophum, III *De anima* et XII *Metaphysicae*, alteram vero terminantis – quod etiam dupliciter contingit: primo quidem si terminet actum potentiae primo et secundum /X 784b/  
 1025 propriam rationem, sicut sensibile proprium actum sensus; secundo vero si terminet secundario et in quantum includitur in ratione alterius obiecti, primitus terminantis, sicut quantitas et sensibilia communia terminant secundario actum sensus.

Ad propositum ergo obiectum motivum divinae intellectionis non potest esse aliqua creatura, sed nec aliquod personale; cuius ratio est, quia quaelibet divina intellectio est formaliter infinita,  
 1030 omne autem creatum, sive sit in re extra sive in intellectu divino, quodcumque distinctum ab essentia, non potest esse formaliter infinitum; ergo nec movere ad intellectionem infinitam, alias moveret ad aliquid se nobilius. Sola igitur essentia habet rationem obiecti moventis intellectum divinum ad intellectionem, aliter vilesceret intellectus divinus, quia moveretur ad intellectionem finitam.

Si vero loquamur de obiecto primo terminante actum intellectionis divinae, etiam dici non potest quod aliquid primo terminet actum infinitum divinae cognitionis, nisi sua essentia; cuius ratio est quia nullum finitum necessario coexigitur ad aliquod infinitum. Actus autem necessario praexigit obiectum in ratione primo terminantis, dato etiam quod absolveretur obiectum illud a ratione moventis, quia a quocumque sit actus exigit suum primum terminans, quare sola essentia  
 1035 est primo terminans intellectionem divinam.

Si vero loquimur de obiecto actum illum secundario terminante, pro eo quod includitur eminenter in primo terminante, ita quod ratione et virtute primi /Vb 372vb/ obiecti terminet, quia tale obiectum non necessario coexigitur ad actum, sed magis sequitur et dependet ab actu, ideo per hunc modum dici oportet quod creaturae secundario terminant actum divini intellectus  
 1045 et sunt obiecta secundaria.

Hoc tamen adhuc dupliciter potest intelligi. Primo quidem quod sic cognitio creaturae in cognitione divinae essentiae includatur quod una cognitio sit formaliter alia, ita quod comprehensio creaturae in comprehensione essentiae formaliter includatur, ita quod formaliter cognitio essentiae sit intellectio creaturae. Et sic non est verum quod creaturae a Deo cognoscantur, sicut nec cognitio perfecta causae est formaliter cognitio <causatorum> [conclusionis Vb], immo potest ab ea separari. Unde comprehensio essentiae est beatifica, non autem comprehensio creaturae.

Secundo vero potest intelligi non quod comprehensio creaturarum cadat in comprehensione essentiae, sed quod sequatur in intellectu comprehendente causam, utpote divinam essentiam,

1055 quaedam potentia ad comprehendendum omnia creata et causata ab ea. Et sic verum est quod creaturae sunt in intellectu divino tanquam obiecta secundo intellecta.

Est vero non solum obiectum, immo et obiectum primum primitate cuiusdam originis et perfectionis. Omnes enim perfectiones, quae sunt in divinis, fluunt ab essentia quasi originaliter vel originative. Quaecumque enim habent ordinem realem, cum sint distincta realiter, servant  
1060 eundem ordinem rationis, ubi secundum rationem distinguuntur. Constat autem quod, si divinae perfectiones distinguerentur realiter ab essentia, omnes realiter orirentur ab essentia, sicut passiones quodammodo pullulant a subiecto; et esset tunc essentia prior omnibus perfectionibus, prioritate originis /X 785a/ et perfectionis. Quare, et nunc, cum formaliter et ex natura rei distinguantur, eodem modo essentia prior erit; nunc autem ordo intelligibilitatis sequitur  
1065 ordinem entitatis, ut patet II *Metaphysicae*. Reliquitur ergo quod essentia prior sit in ordine intelligibilitatis respectu omnium cognoscibilium de Deo; quod etiam potest per illud VII *Metaphysicae* confirmari, quod substantia prior est omni accidente cognitione et definitione. Unde notitia ipsius quod quid est de unoquoque prior est notitia omnium passionum. Sic igitur essentia est obiectum primum intellectus divini primitate originis et perfectionis.

1070 Est vero obiectum primum non solum hoc modo, immo etiam primum primitate adaequationis. Non enim ens aut aliquid commune est obiectum adaequatum intellectus divini, sed solum essentia. Tum quia non quodlibet contentum sub ente movet intellectum divinum ad sui cognitionem sub propria ratione; nam tunc vilesceret intellectus eius, sicut arguit Philosophus, quia a tali <intelligibili> [intellectuali Vb] pateretur. Tum quia intellectio  
1075 formaliter infinita causaretur vel essentialiter dependeret a finito, quia a quolibet contento sub ente universaliter. Verum est enim quod cognitio ordinem habet et dependet ab intelligibili et intellectu. Igitur nullum commune est obiectum adaequatum intellectus divini.

Et rursus essentia non potest esse obiectum sub ratione alicuius personalis sive notionalis propter eandem rationem, quia nullum personale est formaliter infinitum, nec etiam sub ratione  
1080 alicuius attributi, sed tantum huius essentiae in se. Nam sub illa ratione est aliquid obiectum primum alicuius potentiae, sub qua continet virtualiter vel formaliter omnia illa ad quae potentia se extendit; formaliter quidem sicut color est primum obiectum visus, omnes speciales colores formaliter continens, in quantum de ipsis formaliter et in quid praedicatur; virtualiter autem, sicut subiectum continet suas proprias passiones. Manifestum est autem quod /Vb 373ra/  
1085 perfectiones divinae non continent se formaliter, quia qua ratione veritas continet bonitatem, eadem ratione bonitas veritatem, cum sint aequae communes; et ita esset circulus in primitate eiusdem rationis, quod est contra Philosophum, I *Posteriorum*. Quare primum obiectum in divinis solum habet continentiam virtualem; nihil autem essentielle sic continet in divinis nisi sola essentia, quae est prima perfectionum a qua omnes perfectiones aliae oriuntur, perficientes  
1090 eam quasi in esse secundo, eo modo quo passiones oriuntur a subiecto; et sicut causarentur realiter, si ab ea realiter differrent. Unde patet quod sola divina essentia est primum obiectum adaequatum divini intellectus, eo quod continet virtualiter omnem perfectionem secundariam et omnia creata et omnia notionalia ac personalia formaliter existentia in divinis.

Sed nec iste modus dicendi rationalis est quoad tria. Primo quidem in eo quod ait essentiam  
1095 divinam habere habitudinem moventis et non solum terminantis in ordine ad intellectum. Si enim haberet rationem obiecti moventis, necessario in Deo esset ratio alicuius possibilis <movendi> [moveri Vb] /X 785b/ a tali movente. Sed Deo repugnat quod sit in eo ratio mobilis, sicut et realitas mobilis, cum sit perfectissimus et re et ratione. Ratio vero mobilitatis sit imperfectionis. Ergo non potest poni quod obiectum divinum habeat rationem moventis. Unde  
1100 omnino repugnat divinae perfectioni quod concipiantur in eo rationes moventis et moti.

Praeterea, nullum obiectum habet rationem motivi in ordine ad actum, sed tantum in ordine ad potentiam quam trahit ad actum. Non enim dicitur actus moveri, sed potentia est quae movetur. Sed supra probatum est quod ratio intellectivae potentiae in Deo non est, sicut nec alicuius alterius potentiae, sed simplicis actus et puri. Ergo nec ratio moventis obiecti erit in eo.

1105 Praeterea, nullam habitudinem habet obiectum in divinis, nisi illam quam potest habere respectu actus subsistentis, nec aliquo modo eliciti, ut supra probatum fuit quod intellectio in divinis non est elicita secundum rem, nec etiam secundum rationem. Sed manifestum est quod

obiectum respectu actus subsistentis et non elicitum non habet nisi simplicem habitudinem terminantis, et nullo modo moventis. Obiectum enim non movet actum, sed solam potentiam.

1110 Ergo divina essentia habet solum respectu suae intellectionis habitudinem terminantis et non obiecti moventis, nec aliquod est obiectum quod sic se habeat ad divinum intuitum.

Secundo vero deficit in eo quod ait creaturas ut intellectas terminare per modum obiecti secundarii actum intellectionis divinae, nec esse formaliter idem in Deo comprehendere creaturas quam comprehendere essentiam, quasi sint duae comprehensiones et duo comprehensa

1115 terminantia intuitum obiective. Hoc enim falsum esse superius multipliciter est ostensum. Nec valet quod dicitur, scilicet quod ab obiecto secundario terminante non dependet intellectio in ratione exigiti ac necessario requisiti. Apprehensa enim intellectione divinae essentiae, et circumscripto omni creato in ratione secundarie terminantis, aut verum est quod

1120 perfecte apprehendatur Deus intelligere creaturas, sicut si non circumscriberentur creaturae in ratione secundarie terminantium, aut non eque perfecte apprehenderetur intelligere eas. Si detur quidem primum, habetur propositum, quod intellectio essentiae est formaliter intellectio creaturae, omni alio circumscripto in ratione secundarii obiecti; si vero detur secundum, etiam habetur propositum, scilicet quod intellectio creaturae, quae in Deo est et Deus est, ad sui perfectionem creaturas per modum obiecti secundarii necessario exigit et requirit, quod negatur

1125 ab is-/Vb 373rb/-tis. Unde relinquatur omnino quod primum detur.

Tertio etiam deficit in eo quod ait perfectiones attributales quasi oriri ab essentia et pullulare. Idem enim re et ratione non pullulat a se ipso nec re nec ratione. Necesse est enim inter

1130 rationem quae pullulat et illam a qua pullulat esse distinctionem, ut una non sit alia. Sed omnes perfectiones divinae coincidunt in rem et rationem deitatis /X 786a/, ut supra dictum est et manifeste apparet. Non enim intimius est intellectio qualitas creata, existens in mente intelligentis, quam deitas sit intellectio. Constat autem quod propria ratio illius qualitatis est quaedam intellectio formaliter. Non enim ratio intellectionis est addita rationi propriae illius qualitatis, <nec etiam ratio misericordiae est addita rationi propriae illius qualitatis> quae misericordia appellatur; et idem est de ratione iustitiae respectu propriae rationis illius qualitatis

1135 quae dicitur iustitia, et de ratione volitionis respectu eius qualitatis quae volitio nominatur. Unde cum huiusmodi rationes perfectionales non addant in creaturis rationem aliquam ad rem illam cui attribuuntur nec pullulent ab ipsa, immo omnino coincidunt in idem et re et ratione, quamvis addant extrinsece certum aliquod connotatum, manifeste concluditur quod omnes perfectiones coincidunt totaliter in rationem simplicem deitatis. Ergo nihil est dictu quod pullulent vel

1140 originentur ab ipsa.

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quintuplici propositione.

Prima quidem quod ens aut aliquid aliud commune non debet esse obiectum intellectus primi

1145 et nobilissimi, qui est intellectus primi principii, quod est Deus. Primum enim principium non debet indigere aliquo alio a se in acquisitione suae perfectionis. Acquirit autem suam perfectionem per operationem propriam quae est intellectio, sicut et omnis alia res acquirit bonum suum et suam perfectionem per propriam operationem. Non igitur Deus debet aliquo alio a se indigere in sua intellectione. Sed manifestum est quod, si haberet pro obiecto ens in

1150 communi, maxime indigeret, immo quolibet ente egeret in ratione termini, cum impossibile sit apprehendi aliquam intellectionem sine suo termino obiectivo. Ergo ens in communi non potest assignari pro obiecto primi et nobilissimi intellectus.

Secunda vero propositio est quod essentia prima debet esse obiectum primi et nobilissimi intellectus, non quidem obiectum movens, cum intellectus primus non sit motus, nec intellectus

1155 potentia, sed purus actus mere subsistens, sed obiectum terminans solum. Nobilissimo enim actui et latissimo debetur terminus nobilissimus et latissimus. Sed divina essentia est nobilissimum cognitum et universalissimum ac communissimum, et concurrunt ista duo in divina essentia, et non in ente praedicamentali. Ens enim <praedicamentale> [praedicabile Vb] est imperfectissimum, cum universaliora sint imperfectiora, et est artissimum in ratione cogniti,

1160 quia minus quod possit cognosci de re est quod cognoscatur in ratione entis. Ex tunc enim

ignorantur speciales et propriae omnium rationes. E converso vero divina essentia est nobilissima et latissima in ratione termini intuiti et prospecti, quia ea prospecta omnis alia res est intuita et conspecta modo eminentiori quam si conspiceretur in se ipsa. Ergo divina essentia et nihil aliud /X 786b/ debet esse obiectum terminans intuitum divinum.

1165 Tertia vero propositio est quod nulla creatura dici potest esse obiectum terminans intellectum divinum, quamvis aequipollenter, immo et eminenter, causatum quodlibet cognoscatur ab ipso. Cer-/Vb 373va/-tum est enim quod, si poneretur duplex genus oculi – unum quidem quod non posset nisi imagines in speculo contueri, et per hoc omnia quorum essent illae imagines aequipollenter cognoscere diceretur, immo et eminenter, si imagines illae nobiliores essent  
1170 rebus; alterum vero quod ipsas res aspiceret in se ipsis – si sic utique poneretur, nullus <diceret quod primus oculus, qui> [quod primum genus oculi, quod Vb] imagines cerneret, haberet pro obiecto res ipsas, sed potius aliquid aequipollens et eminens. Sed supra declaratum est quod divinus intuitus non aspicit res in se, sed aliquid aequipollens et plusquam aequipollens, videlicet suam essentiam. Igitur id quod prius.

1175 Quarta quoque propositio est quod non solum divina essentia est terminus intuitus divini, immo et quaelibet persona divina. Ubi considerandum quod divina essentia, posita in esse formato, terminat et est obiectum terminans, ita quod aliud est esse terminum et obiectum et aliud esse essentiam, eo modo quo esse conspicuum, quae est Verbi proprietas, aliud est ab essentia, vel magis non aliud sed non idem per repetitionem, ut superius dicebatur. Sic igitur,  
1180 licet essentia terminet obiective intuitum divinum, tamen ipsum terminare vel esse terminum et prospectum est ipsa persona Verbi.

Rursum, quia impossibile est essentiam esse quod terminat quin etiam terminet simul cum essentia omne quod idem est per indistinctionem cum ea, proprietas autem Patris ac proprietates Spiritus Sancti idem sunt penitus cum essentia per indistinctionem etsi non per repetitionem,  
1185 necesse est quod omnes tres personae distinctae ab invicem et <indistinctae> [distinctae Vb] sint idem quod terminat intuitum divinum, non quidem per se primo per rationes personalitatum suarum, sed propter indistinctionem ad primum terminans quod est essentia. Ut quia impossibile est quod essentia terminet quin omne illud terminet, quod est penitus idem sibi per indistinctionem, idcirco necesse sit quod terminent personae. Et secundum hoc est hic tria  
1190 considerare.

Primum quidem esse terminum intuitus et aspectus, quod nihil aliud est quam esse Verbum, quia esse terminum formaliter in quantum terminum non est aliud quam esse conspicuum, et formatum et intuitum esse obiective.

1195 Secundum vero est id quod est terminus per se primo; et istud est essentia divina. Et quia res posita in esse prospecto est penitus eadem et per omnimodam indistinctionem cum illo esse prospecto, ut ex superioribus patet, ideo ex divina essentia, quae est id quod est terminus, et ex esse prospecto, quod est formaliter esse terminum, resultat persona Verbi.

Tertium vero quod hic considerandum est quod illud quod terminat per omnimodam indistinctionem ad primo terminans, quod est essentia. Et illud tale sunt personales proprietates.  
1200 Et sic tres personae dicuntur intuitum terminare. Unde possumus /X 787a/ dicere quod esse prospectum vel contuitum obiective nihil aliud est quam esse Verbum. Esse vero id quod prospicitur pertinet tribus personis; esse vero id quo personae sunt in esse prospecto pertinet ad essentiam. Et sic patet quod ex sola essentia et ex proprietate quam importat esse prospectum resultat personalitas Verbi. Ex persona vero Patris et ex esse prospecto non resultat personalitas  
1205 Verbi, nec etiam ex personalitate Spiritus Sancti et ex esse prospecto, quamvis sit vere prospecta, pro eo quod esse prospectum non unitur per indistinctionem omnimodam immediate personalitati Patris vel Spiritus, sed mediante essentia; et ideo cum essentia constituit unum distinctum, scilicet Verbi suppositum, non autem cum personalitatibus illis. Ex quo etiam solvitur illa dubitatio quae supra movebatur in quaestione de Verbo, quare videlicet personalitas  
1210 Patris, cum Pater eam ponat in esse conspicuo et prospecto, non est idem quod Verbum. Est enim ex hoc quod personalitas non est id cui primo unitur esse prospectum per omnimodam indistinctionem. Similiter etiam patet quare Verbum, dum <prospicitur> [perficitur Vb], non /Vb373vb/ constituit ex sua personalitate et esse prospecto aliam personam et aliud Verbum, ut

1215 sic esset Verbum Verbi in infinitum. Unde potest ad hoc illud simile adaptari de anima  
intelligente se ipsam, quae secundum Augustinum est ante seipsam posita in esse conspicuo et  
quasi genita, ut superius dicebatur.

1220 Quinta demum propositio est quod multitudo perfectionum attributalium nullam ponit  
intellectorum multitudinem obiectivam in divino prospectu. Attributa namque nullam habent  
inter se distinctionem aut multitudinem, etiam secundum rationem, ut superius dictum fuit. Sed  
1225 tota multitudo et distinctio est in connotatis. Connotata vero vel sunt creaturae, sicut patet de  
omnipotentia quae connotat possibilem creaturam, vel sunt ipsemet personae, sicut intelligere  
connotat esse conspicuum quod est Verbum. Sic igitur intuitus divinus nullam multitudinem  
reperit in perfectionibus essentialibus in se, sed aspicit unam simplicem rationem deitatis, quae  
est omnes illae perfectiones et re et ratione. Creaturas vero, si connotentur per huiusmodi  
1225 attributa, non aspicit in eas, suum intuitum terminando, ut dictum est, sed quia intuetur ipsam  
simplicem deitatem. Si vero connotentur personae, non aliam multitudinem intuetur, ratione  
attributorum quam prius, cum cognosceret et intueretur personas. Sic igitur patet quid dicendum  
de obiecto intellectus divini.

Et in hoc quartus articulus terminetur.

1230

**Responsio ad obiecta.** Ad ea ergo quae in oppositum inducuntur dicendum: ad primum quidem  
et secundum et tertium per ea quae dicta sunt in corpore quaestionis.

1235 Ad quartum dicendum quod habitus metaphysicae divinae vel potius actus, quia in eo nullus  
est habitus, est quidem eminentis et alterius rationis a metaphysica nostra, et ideo non habet idem  
obiectum quod nostra, sed multo altius et eminentius, videlicet essentiam suam qua cognita  
cuncta /X 787b/ sunt ei cognita eminenter.

1240 Ad quintum dicendum quod scientia Dei multo nobilior est et perfectior et altior quam  
metaphysica nostra, unde in nullo sibi subalternatur. Et cum dicitur quod eius obiectum,  
videlicet essentia, continetur sub ente, dicendum quod multo altius totum ens continetur in  
obiecto ipsius. Essentia namque continetur sub ente confuse et praedicative et ita diminute;  
essentia vero continet omnia eminenter. Habent ergo se per modum continentis mutuo et  
contenti, sed continentia ipsius essentiae multo eminentior est.

1245 Ad sextum dicendum quod Deus non intelligit lapidem sub ratione lapidis sic quod eius  
intuitus ad rationem lapidis terminetur, sed quia ad aliquid terminatur, quo intuitu, ratio lapidis  
vere cognita est aequipollenter et amplius.

Ad septimum dicendum quod nullo modo creaturae sunt obiecta secundaria terminantia  
divinum intellectum, ita quod ponant in numerum cum essentia divina ut intuita est.

1250 Ad ultimum dicendum quod conceptus entis, si aliqua entitas est, continetur eminenter in  
deitate, unde intuita deitate cognitus est conceptus entis universalis, cum deitas non solum sit  
eminenter rerum propriae entitates, immo et generales atque communes.